



~~EX BIBLIOTH.~~
NATIONIS HUNGAR.

I A 125.

VITEBERG.

SIGNAT. c1515CCCXIII.





JOHANNIS TSEETSI, FIL.
A PHORISM I.
IN QUIBUS
ANTIQUITATES
VETERUM
HEBRÆORUM
BREVISSIME EXHIBENTUR.
IN USUM
SCHOLASTICÆ
JUVENTUTIS
EDITI.



BERNÆ HELVETIORUM.

TYPIS ET SUMPTIBUS ILLUSTRISSIMÆ REIPU-
BLICÆ BERNENSIS.
ANNO DOMINI, MDCCXXVI.

JOHANNES PESTALOZZI
ЛЮДОВІКОНІА
ЗЕТАТИОНИА
HEBREO

ILLUSTRISSIMIS.
MAGNIFICENTISSIMIS.
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS - QUÆ.

VIRIS.
DOMINIS DOMINIS.
CONSULIBUS.
QUÆSTORIBUS.
TRIBUNIS.
SENATORIBUS.
TOTI-QUE. ADEO. INCLYTO. PIO.
AC. FELICI.
SENATUI SANCTIORI.
FLORENTISSIMÆ. ET. LONGE. LA.
TE-QUE. CELEBERRIMÆ.
BERNENSIUM.
APUD. HELVETIOS.
REIPUBLICÆ.
PATRIBUS. CONSCRIPTIS.
LABORANTIS. ECCLESIAE. NUTRITIIS.
LITERARUM. MÆCENATIBUS.
TOT. GLORIÆ. IPSORUM. CUMULIS.

46 (c) 150
QUALECUNQUE. HOC. MUNUS. LI-
TERARIUM. ANTIQUITATES. VETE-
RUM. HEBRÆORUM. PAUCISSIMIS.
LINEIS. IN. EMOLUMENTUM. JUVEN-
TUTIS. SCHOLASTICÆ. DESCRIPTAS.
EA. QUA. PAR. EST. REVERENTIA.
SUMMA. SCILICET. ANIMI. CORPO-
RIS. QUE. DEVOTIONE. OFFERT. DI-
CAT. CONSECRAT. AC. OMNIGE-
NAM. SALUTEM. FELICITATEM. GLO-
RIAM. PRECATUR.

BERNENSIUM
JOHANNES TSEEETSI. J.F.
Illustris Scholæ Patakingæ in Hun-
garia Rector, Theologiæ & Phi-
losophiæ Professor Ordinarius.

Ets



TU VIRI ILLUSTRISSIMI

non est dubium, quin multi mihi id
sint vitio daturi, quod non reveritus
Dignitates Vestras, Vos Heroës &
virtute magnâ præditos, excelsô lo-
co ac summo Dignitatis gradu constitutos audeam
affari; imò ipse verear, ne imprudentia me cœ-
men inducam; si Vos, homo quoad Vos novus &
in obscuro adhuc latitans, compellavero, & pauca
hæc folia commidis Juventutis Scholasticæ me
Duce studiis sacris operam dantis consecrata, Vo-
bis indigna & Gloriâ Vestâ longè inferiora, sub
ILLUSTRISSIMORUM NOMINUM Vestrorum
Auspiciis, in lucem emisero. Sed tamen ut hoc
auderem, non una causa sed variæ me monue-
runt; quibus cognitis spero fore, ut illi, quod
feci, mihi laudi dandum existiment, ego ipse a te-
meritatis nota absolvatur; quod autem hic omnium
maximum est, Vos pro summa vestra Pictate &
Clementia, sitis id, quicquid est, tam Magnitudi-
ne Vestâ dignum, quâm officiis meis conveniens,
judicaturi. Hujus Instituti autem *Primam Cau-
sam* pono præter tantas Nominis, Animi & Glo-
riæ Vestre laudes, duo celebrata apud omnes
Studia Vestra JUSTITIAE & RELIGIONIS, qui-
bus, tanquam Virtutum omnium Circo, Populi sa-
lus & Reipublicæ fortuna continetur, quibus
DEUM Hominesque Amicos Vobis & propitios
fecistis, colentes *Illam* cum æquanimitate, qua-
lis JUSTITIA eheu! quâm rara in Orbe invenitur;
Hanc ad nutum & voluntatem DEI ipsius purò
corde profitentes. Horum alterò ab ipsis jactæ
REIPUBLICÆ Vestre fundamentis, quod factum
est Annò 1353, cùm Fœderi Helveticò Vos etiam
accederetis: alterò verò priori sacrò quôdam vin-
culo

culd necessariò copulatò a beatis Reformationis
 Vestra Temporibus; cuius Æra optimè figi po-
 test in famosa illa Disputatione, quæ habita est
 Anno 1528. quâ Reformatio superiori Annô labo-
 factata, ita restaurata est, ut ejus obtentæ An-
 num Diemque publicè aureis Literis Columnæ
 Majores Vestri inscriplerint, inclyti eftis; & qui-
 dem tot Historiarum monumentis, tot amicorum
 & hostium, verbô, omnium Testimoniiis, in tan-
 tum, ut ego longè minor sim & eloquentiâ &
 eruditione, quam ut id, quod hac in parte dici
 posset & deberet, edifferere possim; cum tamen
 non omnimodè harum rerum ignarus inveniar;
 licuit enim mihi ante hos quindecim Annos cum
 reliqua Helvetia Urbem & Cantonem Vestrum vi-
 sitanti JUSTITIÆ & RELIGIONIS erecta tot apud
 Vos Trophæa videre, imò experiri; ubi multa e-
 rant, quæ me peregrinum in admiratione deti-
 nerent ex his duobus fontibus derivata. Id facie-
 bant omnino REIPUBLICÆ Vestra Majestas, Ur-
 bis splendor, admirabilis structura, magnificèntia,
 Territorii Vestri præ omnibus Helveticis amplitu-
 do, optima rerum omnium constitutio, Legum
 æquitas, Magistratum veneratio, Pacis studium,
 Concordia Civium, affluentia rerum omnium. Ad
 hæc: Religionis intemerata castitas, fugatâ pridem
 omni servitute & superstitione, cultus Numinis
 unû corde & labiû unû, in extorres incredibilis
 humanitas; in omnes miranda non mihi tantum
 comitas, affabilitas, sinceritas, immensus erga E-
 рудitos favor, sumptuosissimè structæ sacræ DEO
 Ædes, Athenæum in Urbe Vesta Celeberrimum,
 extra eam Academia satis culta, Bibliotheca in-
 gentibus sumptibus collecta, tanta Professorum,
 Ministrorum, Candidatorum & Studiosorum mul-
 titudo, & tot & tanta alia iugi recordatione per-
 petuò mihi præsentia, ut eorum ne Catalogum
 quidem hæ angustiæ capiant, nata omnia ex fe-
 lici JUSTITIÆ, quæ Juris & Legum sanctione

fun-

fundat humanam Societatem & fundavit Vestram,
 & sine qua maximæ res & opes, tanquam cor-
 pus sine anima, collabescunt, & ut Vestrae glo-
 riosè persistant & crescant, efficit; & RELIGIO-
 NIS, quæ Virtutum omnium ut & Vestrarum fun-
 damentum est, actionum dux, mentis lux & ani-
 mæ vita, imò anima, conjugiō. Alteram Ratio-
 nem Clementiam Vestram non jam generalem &
 Orbi notam; sed specialem quandam esse posse
 arbitror, quâ Ecclesiam nostram Hungaricam dile-
 etam Sororem Vestram, multiplici onere nondum
 plane oppressam cordi Vestro esse probè sciam,
 & lachrymari cum nobis tam amarè & toties flen-
 tibus & tam indignè haberi solitis, mihi optimè
 constet; imò precibus, cum reliquis Vestris Fra-
 tribus Helvetiis, ut & omnibus aliis nationibus
 Fidei sanctæ unitate nobis & Vobis conjunctissi-
 mis, Cœlum ferire, ut & supplicibus verbis apud
 DEUM & RECTORES MUNDI causâ nostri in-
 tercedere bene nôrim: Adeoqué ego pro Eccle-
 siis Patriis & Popularibus meis Vos humiliter ac-
 cedendi & gratias Vobis referendi, pro tot in nos
 meritis & officiis suscepi provinciani, munusculò
 insuper instrutus, quod Gratiam accessui conci-
 liet eandemqué muniat; quod tamen adeò exile
 est, ut nulla sit inter illud & Vestram aut Di-
 gnitatem aut in nos officia proportio; & de quo
 meritò dici possit illud Vetus: *Æs pro Auro;*
 grati tamen & devoti animi signum quod sit, ejus-
 qué quasi obses & Tabella sponsoria, ubi Charis-
 tas Vestra descripta est in *Memoria & Fama*
 Templo suspendenda, aliquem apud Vos locum
 invenire poterit; eò autem magis, quòd aliud e-
 tiam quoad me accedat, cùm ab aliquot jam An-
 nis, non unum ex Auditoribus meis Ecclesiæ la-
 borantis bono studiis operam dantibus, Athe-
 næ hujus Vobis etiam ex fama noti, toties alias
 vexati, loco moti, affliti, injuriati, exinaniti.

& vel hōc momentō pessimē habiti Civibus liberaliter suscepistiis, hospitalem tesseram Vestram Gloriā dignam cum iis exercuistiis, & ut commodē Eruditioni sacræ in Urbe & Athenæo Vestro operari ac præstantissimos Exterorum Thesauros , more apud nos ab ipsa Reformatione optimē receptō, Patriæ nostræ inferre possent, procurastiis. Cūm ergo ego, pro indignitate mea, Athenæi hujus Rectorem agam, mei officii esse non malē judicavi, si pro amore in Discipulos illos meos & gratitudine tam opportuna, Vobis VIRI ILLUSTRISSIMI AMPLISSIMI aliquod observantiae signum offerrem, quō manifestum esset Charitatem illam Vestram nobis accidisse gratissimam & utilissimam , & simul Vos ad ejus continuationem & amorem in Athenæum nostrum, si non ita ex aliis, aut saltem ex afflictionum Prærogativis satis gloriosum, ex tam longè dissipitis Terrarum etiam spatiis adhortarer atquē excitarem. Sed his Tertia etiam superadditur Consideratio, quæ animum meum omni illō tempore, quō Juventuti concinnatum Opusculum hoc Vobis offerre cogitabam, occupavit; quod illud etsi exiguum, minime subtile & magnis ingeniiis indignum , sacrum tamen sit, & cūm jam memor sim illius; *Sacra Sacris;* inde statim judicabam ejusmodi Scriptiunculam (etiamsi caprarum pilus, aut plumula , vel cere minima particula esset) quæ Ecclesiæ veræ , nec in humanis cogitatis , verborum strepitibus ac litigiis proram & puppim collocanti utilitatem aliquam fenerari posset, & ex qua Juventus DEO sacra occasionem aliquam haberet, in tanto subfidorum discendi apud nos defectu, ediscendi; quomodo ex Sione exiverit Lex & Verbum Domini ex Jerusalem? quomodo Ecclesia hæc Novi Testamenti, ad ultimos Terræ fines jam dilatata & tot Privilegiis dives , sub umbris Ecclesiæ Veteris Testamenti latitaverit? quomodo Ritus

illi tantō conatu a DEO inculcati, tam sancte cu-
stoditi, tot titulis ornati, & ipsa Elementa Mun-
di omnia nostro bono constituta fuerint? ut ex
fontibus Israēlis nos affatim tandem bibere
deberemus: quomodo Sensu Mysticō præter
Literalem inveniendo Doctrinæque Typicæ & Al-
legoricæ ad Sacrum Ministerium collimantes, &
alii etiam, se in dies adsuefacerent? Ad hæc: quo-
modo ex Antiquitatibus Hebraicis (quarum h̄ic
licet ordo aliquis tantum necatur, in Institutio-
nibus tamen ipsis vivâ voce fūsūs omnia expla-
nari soleant) innumera Scripturæ Sacrae Loca,
frustra quæsitō ullō aliō fonte, feliciter explicari
& illustrari summo fideliū gaudio & emolumen-
to possint? Vobis VIRIS DEI & nimiū certe DEO
dilectis, Ecclesiæ Veræ Affertoribus & Vindicibus,
Doctrinæ ejus salutaris Defensoribus optimè Ju-
re offeri posse: & cùm Deliciæ humani generis
Titus Vespasianus negare soleret, Oportere quem-
quam a Sermone Principis iristem discedere:
Ita Vos Principes Dignitate Viros persuasus sum,
hoc quicquid est Libelli eō animō recepturos, ut
æquis Vestris oculis ac serenō vultu aspiciatur,
præclaro sanè nobis omnibus, quibus a Vobis a-
mari multum est; gaudio; mihi quidem quod in-
genue fateor, de concepta de Vobis spe triun-
phanti, majori quam si vistor rediisse ab Olympico
aut Pythico certamine, aut curru quadriju-
go & albentibus equis per sacram viam laurō cor-
onatus in Capitolium invcherer. At non diutius
Vos ILLUSTRISSIMI VIRI detinebo, fors
honeſti Alloquii limites jam etiam supergressus, &
Urbi parvula magnam non satis convenienter
præfigens portam; sed desinam in votis, DEUM
T. O. M. precibus ardentibus flagitans & intimis
suspiciis implorans, ut velit Vobis, VIRI SUMMI!
Titulus Vestris, tūm ob Majorum Imagines, tūm
ob Virtutes & excelsas Dignitatis Vestrae Sedes

46 (0) 46

Dignissimi! omni ex parte benedicere, domi fo-
risqué Vos beare , concedere Vobis Nestoreos
Annos; ut serò nec nisi post magna edita Exem-
pla, diuqué post aliorum fata Majorum anima-
bus aggregemini. Perennare faciat interea AU-
GUSTAM REMPUBLICAM Vestram, ut ea sit JU-
STITIÆ semper Tribunal, RELIGIONIS Ara,
Consilii Oraculum, Prudentiæ Ædes, Humanita-
tis Penu, Mansuetudinis Sacratum, Fortitudinis
Sedes, Hostium Terror, Orbis Admiratio, Præ-
sidiū Bonorum, Afflictorum Solatium, Extor-
rium Refugium, & denique Virtutum omnium
Thesaurus. Hæc ita Animō integrō voyebam.
Patakini in Hungaria. Die 1. Decembris.
Annō Orbis Restituti juxta Vulgarem Compu-
tum C I D I D C C X X V .

PRÆ-

P RÆFAT I O.

A D

LECTOREM BENIVOLUM ET AEQVUM
RERUM AESTIMATOREM.

TRedecim Anni sunt, quibus in Illustri hoc Athénæo Patris mei, mihi homonymi, fide & curis ab interitu, malorum tot inter fluctus, non semel vindicato publicè doceo (quod etiam fateri cogor) Διάδηξ καὶ ἀριθμός. Nihil mihi fuit omni hōc tempore sanctius, quam Juventutem bonarum Literarum studiosam in acquirenda Eruditione manuducere. Cūm autem cum dolore viderem, præter illa, quæ in Athénæo hoc ab olim non sine utilitate tradebantur, multa esse, quæ hoc usque, magno certè danno Juventutis, neglecta erant; non verebar Novator audire, aut multorum, qui jejunè malevoli nīl præter odium Literarum profitentur, & fictō hōc vel illō prætextu, aliena semper carpere, talia autem quæ capere pares non sunt, didicerunt obrectationibus & sycophantiis exponere; sed ibam contra audientior, non illac quā itur, sed quā eundum est, alacer & erectus per medium calumniantium, inter quos plurimi tales erant, quibus dicere debuisse, quod Cæsar Bruto : Καὶ οὐ εἰ σκέψος καὶ οὐ τέχνης. Adeoque nonnulla hic usque apud nos neglectorum, ut a me fieri poterat, tractare cœpi, & quidem, ne avarus eorum inveniar, omnia publicè. Inter illa sunt ANTIQUITATES Veterum HEBRÆORUM, Studii genus, quō Eruditum hoc Seculum præ omnibus aliis Æratibus illustre est; & quod tot fecit a centum circiter Annis præstantissimos Scripturæ Sacrae Interpretes, & tantam lucem affudit Sacris Paginis, ut omnis merito stupere possit. HAS Sacro Ministerio præprimis devotis planè necessarias non amplius volens a limitibus nostris exulare, primò Professoratus mei Annō Auditoribus meis, quorum multi in Ecclesiis jam cum laude docent, explicavi. Et cūm omnes ferè cum admirantibus Coelo decidens olim Manna Israëlitis de hac re nova non sine insigni in eam affectu inquirerent: ΝΙΠ ΙΩ ΝΙΠ ΙΩ. Quid hoc? Quid hoc? percipi non planè inutilem esse hunc meum laborem, nec me spe, quam conceperam, excidiſſe; quæ erat Juventutem molestis & ſæpè ſterilibus Grammatices Præceptis

terris.

territam hōc studiō amoēnō & feracissimō ad amorem
 Linguae sanctae pellicere, & jucunditate hujus præconce-
 ptam illius difficultatem annihilare; imō ad ulteriorem
 in Orientali Literatura ac Philologia sacra profectum o-
 stium quadantenus aperire. Adeòqué non tantū itera-
 tā vice varias inter Disciplinas, ob paucitatem Docen-
 tium apud nos, ut Sylphii faxi instar illas volverem &
 revolverem, mihi ex officio incumbentes ANTIQUITA-
 TES has exposui; sed ut eō melius consulerem Juven-
 tuti, cui me totum debeo, Compendium quoddam ea-
 runderem dictare cœpi jam ante decem circiter Annos; ut
 illō ordine posteā Doctrina hæc institueretur, & Juven-
 tus nostris dedita Musis, ut omnibus ferè utilioribus Li-
 bris, ob miserandum Literarum & Ecclesie in Patria
 nostra statum, ita ad sacra hæc spectantibus destituta,
 haberet saltem aliquid, quō oculos converteret, &
 qualis qualis Compages ANTIQUITATUM HEBRAI-
 CARUM ad manus eidem semper esse posset. Cūm autem
 scribendi labore multis onerosum & molestum esse sci-
 rem, ex plurimis & infinitis ferè rebus, paucissima sal-
 tem Compendiolo huic intuli, ut ferè Titulorum ordi-
 ne tantū constare videatur, elucidatione omnium ad
 ipsam Explicationem reservatā. Jam verò deficienbitibus
 omnibus Studiosis illius temporis; successores eorum,
 qui Eruditionis acquirendæ gratiā hōc tempore Musis no-
 stris litant & post ipsos litaturi sunt, novæ descriptio-
 nis onere, quæ etiam vitiosa fieri apud novitos &
 inadsuertos ferè semper assolet, liberare volens, & ut E-
 xempla qualis qualis hujus Compendioli, præter Studio-
 sis fors aliis etiam aut saltem ex Ecclesiastum Ministris
 suppeterent, accedente non tantū ex illis, sed & ex
 his nonnullorum prece, Typis jam describenda Dictata
 illa cogitavi; nec auxi ullibi, ne moles cresceret aut
 etiam pretium; nec mutavi quicquam, ne a Manuscripto E-
 ditio dissonaret. Interim ne saltem pro Filo Institutioni-
 num Opusculum editum videretur, & ut præter Studio-
 sis aliis etiam aliquid prodesset, ita etiam aliquot Ca-
 pitibus rerum Hebraicarum facula aliqua accenderetur,
 arreptō calamō nonnulla proximis diebus plures inter labo-
 res ad finem subjunxi sub nomine Appendix; omnia tamen
 summā brevitate, Authores citavi ferè nullos, paucissi-
 ma etiam Loca Scripturæ sacræ allegavi ut & Librorum
 Talmudicorum; cūm fontes illi omnes ostendi debeant in
 ipsis Institutionibus. Nonnulla etiam immiscui ad mo-
 dernos Judæos spectantia, eō fine, ut quō plenior re-
 rum Judaicarum notitia tradi posset, & modernus etiam

Ju-

Judæorum status, ut & discrepantia a veteri, quadam tenus Juventuti innotesceret. Methodum, quæ inter tot ANTIQUITATUM Scriptores multum variat, adamavi illam, quam post nonnullos alios secutus est Clarissimus RELANDUS, Præceptor olim meus nunquam satis laudandus, magno Literarum præprimis Orientalium danno, immaturâ morte Orbi Eruditu nuper eruptus: Interim Capita multa in Compendio hoc comparent, quæ multum ad hanc rem pertinencia Clarissimus RELANDUS omiserat; imò omnes alii, qui de his argumentis Libros ediderunt, hâc aut illâ parte mutilum obtruserunt discèntibus ANTIQUITATUM HEBRAICARUM aut Systema aut Compendium, ut ordine Libri illi & eorum defectus recenseri possent; sed nolo hâc vice virgulam censoriam in illos vibrare, docendis potius indoctis, quâm refutandis Eruditis impendendum esse laborem nostrum pridem edoctus. Monendum etiam habeo Lectorem omnem; ANTIQUITATES HEBRÆORUM ut & aliarum quoquâ Gentium dijudicandas esse *in iż ḥapibon-dixit*, sed *xalà m̄ iżtak̄sāv*; nec esse hoc Studii genus ad summæ certitudinis leges exasciatum, cum nec admodum pridem cœperint Eruditи rebus his operam accuratam & seriam dare, & magnô labore hinc inde conquirantur & effodiantur granula auri illa, ex quibus tandem hæc preciosa massa conflabitur: nōrunt ad hæc, quibus sacra hæc patent, Orientales, quorum partem faciunt Judæi, hyperbolicis locutionibus admodum esse adsuetos, cuius rei in ipso Codice sacro Judæorum Ritibus superstruc̄to, quâm plurima sunt indicia & exempla, quæ nostris auribus sèpè sunt insolita, ex Ritibus tamen & Phrasiologyis Orientalium facile plana & explicabilia. Cæterū optimè fortunatum & grandi lucrō locupletatum me existimabo, si ex hac etiam Opella mea boni aliquid in laborantis Ecclesiæ & Literarum apud nos humi ferè repentium commodum redundaverit. Interē optimè vale LECTOR Optime! & me, velis remisque omnibus juvandæ Ecclesiæ intentum, Precibus apud DEUM juva, in Libello hoc explora omnia, vide singula & judicium suspende, donec totum legeris. Intellexisti jam finem mihi in eo esse non aliud, quâm prodeſſe Juventuti. Vale iterū plurimumque & grandiorum fœtuum meorum exclusionem quantocyūs præstolare. Dabani Patakini in Illustri Ashenæo Ipsiſ Calendis Decembriſ.

A. O. R. 1725.

Ad

Ad Virum Etuditionis atque Pietatis famâ Clarissimum, Operis hujus Philologici Authorem
Celeberrimum.

Quantum Thejolo profint commercia rerum
Quas Syrus, Hebræus, voce refert & Arabs:
Docte aperis hic, Thejologus qui Pannoniæ audis
Eximus; Merces ampla laboris erit.

Hicce Virum Clarissimum salutare ὁμονοίας
τις καὶ ὁμοψυχίας testandæ gratiā vo-
luit.

JOHANNES HENRICUS RINGIERUS
V. D. M. & in Athenæo Bernensi
Theol. Elenct. Profes. P.

I N
APHORISMOS
Celeberrimi D. Authoris.

Qui cupis antiquæ ritus cognoscere Gentis
Abramidum, festosqué Dies, & cætera Sacra.
Accipis hæc paucis simul omnia; quæqué labore
Per multò ex aliis sunt conquirenda libellis,
Exhibet hic collecta Tibi CLARISSIMUS AUTHOR,
Cuncta scopum referens ad certum signa typosqué,
Et sic qui fructus Studii, quæ meta laborum
Intendenda docens; ut Laudem compleat omnem.

JOHANNES FRIDERICUS BENOIT'
V. D. M. & in Lycæo Bernensi Phi-
losophia Profes.

Ad Reverendum ac Clarissimum Autorem.
Virginis intactæ Natum Præsepè tenebat,
Cùm comprehendebat fascia parva DEUM.
Supplicibus votis & magnō munere adorant,
Qui veniunt illuc ex Oriente Magi.

Nic

44 (0) 50

Hic Chartis CHRISTUM involvit Clarissimus Auctor;
Sedulè ut evolvat sat Studioſa Cohors.

Levidense hoc Epimetrum in Honorem
Doctissimi ac Clarissimi D. Auctoris
gratulabundus accinebat,

Bernæ Helvetiorum
Postridiè Kalendas
Augusti MDCC XXVI.

SAMUEL SCHEURER V. D. M. Theo-
logiæ Catecheticiæ & Linguaæ Sanctæ
Professor P.

Ad Clarissimum D. Authorem.

Haud celebrare tuas prolixo Carmine Laudes
Est Opus; Ingenium res probat ipsa tuum.

Hæc Theologo & Polyhistori Insigni,
gementis Ecclesiæ Prostratae Eximio
posuit.

JOHANNES GEORGIUS ALTMANNUS
Helv. Tobinianus V. D. M.

E T Φ H M I A

I N

ANTIQUITATUM HEBRAICARUM.

Celeberrimi, Clarissimi ac Doctissimi Viri,
DOMINI JOHANNIS TSEETSI.

Præceptoris sui Laudatissimi nec non Fautoris O-
ptimi, Integerrimi ac perpetuō Amore Venerandi.

A P H O R I S M O S.

Plato in Protagora: Posse brevibus plura com-
pletii, Viri absolute docti opus est.

Jucundō vastam molem vestre colore.
Insigne est Animi nobilioris opus.

50

Sic longam rerum seriem pertexere paucis,
 Indicium Doctri creditur esse Viri.
 Has meritò Laudum palmas sibi vendicat AUTHOR;
 Dum parvò Hebræas Codice pandit opes.
 Nam res ingenti quamvis hæc mole laboret;
 Hic tamen eximia cum brevitate nitet.
 Hic Loca, Personæ, Res, Tempora Gentis Hebrææ
 Sunt in succinto conspicienda Libro.
 Quot voces, tot res & tot monumenta leguntur,
 Unde suum quævis linea pondus habet.
 Res ordoquæ docent, magnum rationis acumen,
 Vim quoquæ Doctrinæ pagina quæquæ refert.
 Sic tamen ut nexus rerum servetur & ordo,
 Antitypumquæ suus monstros ubique Typus.
 Uttere saepius hòc igitur Studioſa Juventus,
 Ut tibi pro Literis sit via trita sacris.
 Hoc etenim multa Phrasæ de Fonte patescunt,
 Quæ nullo ex alio Lumine Lumen habent.
 Utilis ergò Liber sanè! magnique valoris
 Est; quô firmari possit & ipsa Fides.
 Sint igitur Laudes & præmia digna Labori
 Huic, & in æternos stet sua Fama Dies.

Intemeratae Obligationis, debitæ Gratitudinis ac nunquam intermorituræ Observantiae testandæ gratiâ hæc superaddebat.

In Inclytâ Urbe BERNA
 Ipsiſ Calendis Auguſti
 MDCC XXVI.

STEPHANUS MANDI.

APHO-

(1) 90



APHORISM ANTIQUITATES VETERUM HEBRAEORUM EXHIBENTES.

Caput Præliminare.

DE POPULO HEBRAICO.

ANTIQUITATUM nomine intelligitur SCIENTIA RITUALIS Veterum Gentium, ex variis monumentis pertinaci quôdam labore ab Eruditis collecta.

2. Quam rem operosam, mortalibus gratam, cum reverentia conjunctam, & paucis notam vocat Verulamius de *Augmentis Scientiarum Lib. 2. cap. 6.*

3. HEBRAICÆ, distinctæ ab aliarum Gentium, ut Romanorum, Græcorum, &c. Versantur circa Ritualia Gentis veteris Hebraicæ.

4. Nomen Gentis hujus est ab HEBERO, quô tempore dispersis Gentibus, Populus ab Adamo & Noacho huic usque unus, ejus nomine postea dici cœpit; post tempora vero Jeroboami nomen Judæorum usurpatum.

5. Gens hæc DEO dilecta præ aliis omnibus, singulari curâ ab eo habita; Justitiae, Misericordiæ, & aliarum DEI Virtutum semper exitit Theatrum; præprimitis Amotis, cuius colophon fuit missio Filii sui dilecti ad eam facta.

6. Omnia in hac Gente DEI nutu siebant, qui Legislatoris, Belli Dicis, & Regis officiò functus, hunc Populum voluit esse suum, exemptum aliarum Nationum commerciò, singularibus moribus, ritibus, & Religioni adsuetum.

7. Forma Regiminis quænam fuerit, difficile determinatu. Omnis fuit Theocratica; DEI enim supremo arbitrio subordinati modò Judices, alias Reges, Duces, & alii; nunc majori, alias minori autoritate donati fuere.

8. Omnis autem de hac Gente notitia ex ipsa Tractatione

A

statione

2 APHORISMI PARTIS PRIMÆ

statione eruenda est. Quare Antiquitates has in quatuor Partes dispescimus. Quarum I. De Loci Hebraicis. II. Personis. III. Rebus. IV. Temporibus agit.

P A R S P R I M A.
DE LOCIS HEBRAICIS
CAPUT I.

D E TERRA SANCTA.

Regio, in qua Populus hic habitabat, dicta est Canaan, סְנָאָתָן, Sancta, Promissionis, Palestina, Phœnicia, Judea, Syria; imo Terra DEI, Filiorum Israël, & Terra per excellentiam, וּמִןָּה.

2. TERRA SANCTA est in Asia majori, sub gradu Altitudinis Borealis circiter trigesimo secundo; tota montibus & maribus cincta ac munita; longitudine trigesita sex & latitudine sedecim circiter nostrorum milliarium extensa; a Septentrione Syriam; ab Oriente Moabitas, Ammonitas; a Meridie Deseritum; ab Occasu vero Mare magnum, pro terminis suis habens.

3. Eam Postoris Canahan inhabitantibus, in septem Gentes distinctam fuisse sacra Scriptura tradit, Deut. 7. i. Deinde duodecim Tribus Israëlis occuparunt; postea, post mortem Salomonis, in duo Regna Jude & Irael divisa; CHRISTI vero tempore, in quatuor partes: Iudeam, Samariam, Galileam & Peraam distributa est.

4. Fluvii, quibus haec Terra rigabatur, sunt præcipui: Jordan ex Libano ortus, Chison, Jabbok, Arnon, Besor, Eteuernus. Lacus primarii sive Maria: Asphaltidis & Galilæe. Montes: Libanus, Antilibanus, Seir, Gilead, Carmel, Hermon, Tabor, Gilboa, Nebo, Garizim & Hebat. Valles: Illustris sive Regis, Bothri, Rephaim. Campestria: Mageddo, &c.

5. Tota haec Regio fuit omnium rerum, Balsami præprimis, Vini albi & rubri, pecorum, metallorum, frumentorumque omnis generis, fertilissima. Urbium autem & hominum multitudine omnes Mundi terras superavit.

6. Cæterum, Terra haec fuit Typus, tum Mundi, Hæreditatis Ecclesiae totius; tum Regni Cælorum, Peregrinationis Fidelium, optatissimi & quietissimi, post hæc Mundii deserta, termini.

CAPUT I.

DE LOCIS HEBRAICIS.

CAPUT II.

DE REGIONIBUS ALIIS AD ANTIQUITATES HEBRÆORUM SPERANTIBUS.

CIRCUMVICINÆ huic Terræ REGIONES multi etiam sunt usus in Antiquitatibus, & saepe Scriptura sacra eorum meminit.

2. Earum proxima & notissima SYRIA, סְרִירָה Hebrew dicta, in multis Terræ Sanctæ similitima; & variis Privilegiis, supra omnes Gentium Terras, a Judæis ornata. Fuit distincta in tres Partes. Metropoles habuit Antiochiam & Damascum, & postea Judæa hujus Terræ Appendix facta est.

3. AEGYPTUS מצרים ad meridiem, exiliō Israëlitarum, vicinitate, fertilitate admiranda, Nilō suo & aliis inclyta, semper Hebræis fuit referta; quorum maxima Alexandria & Heliopolis frequentia.

4. BABYLON בָּבֶל ad Orientem, cum ob Captivitatem septuaginta annalem; tum ob Academias tres Hebræorum ibi exstructas, famosa est.

5. ARABIA PETRÆA מַדְכָּר ab urbe Petra ita dicta, sive Desertum, quadraginta annorum Peregrinatione nobilitata, est ad meridiem & orientem sita.

6. MOABITÆ מוֹאָב, & AMMONITÆ אַמּוֹן, Lothi ex incestu Posteri, partes Transjordanicas ad Orientem attingebant; hi frumentis, illi animalibus abundantes,

7. PHILISTHÆI פְּלִשְׁתִּים, Aegyptiorum progenies, quinque Satrapias ad Mare magnum possidebant, & variis bellis Israëlitas exercebant.

8. IDUMÆI יְהוּנָן, montes Seir ad meridiem incolentes, sero tandem Imperium & Religionem Fratrum suorum subiérunt.

9. PHOENICES Φοίνικες, antiquorum Canaanorum reliquiae, ad Septentrionem, juxta mare Tyrum & Sidonem incolebant.

10. SAMARITANI Σαμαρείται, Populi Assyriæ, ab Asfaraddone eò ducti, in terræ mediterraneo habitabant, Judæis infensissimi: Insigne Emblema Hypocritarum & Prodigiorum inter Fideles viventium.

11. AMALECHITÆ אֲמָלֵךְ, Idumæorum propago, ad fines australes Terræ Sanctæ habitabant.

CAPUT III.

DE URBIBUS TERRÆ SANCTÆ.

URBIUM multitudine Terra hæc omnes alias superavit; quas, hyperbolicis locutionibus adsuetae Judæi, in myriades extendunt.

2. Exæ, in singulis Tribubus Metropoles suas habebant, a quibus reliquæ dependebant.

3. Leviticae erant quadraginta octo; ex quibus aliquæ Sacerdotales, Refugii verò sex: tres cis, & tres trans Jordanem.

4. Urbes, omnes ferè in montibus ædificatae erant, in cinctæ, turribus, non verò propugnaculis, munitæ.

5. Portæ, Urbium munimenta erant, & simul Judicum Consistoria.

6. Cadavera urbibus ejici solebant, nec ullus mortuus in illis sepeliebatur; sic & leprosi urbibus excludebantur.

7. Cæterum, loca apud Josuam non memorata, Juðæi pro urbibus non agnoscent, & singulis ad minimum mille Cives armatos adscribunt; loca verò non munita Vicos vocare solent.

CAPUT IV.

DE URBE HIEROSOLYMITANA.

Omniū Urbium autem Princeps erat HIEROSOLYMA יְרוּשָׁלָם, cuius præ aliis Prærogativæ enumerantur in Gemara, dicta Baba Kama, folio 82. Columna 2. Vide etiam Append. V. num. II.

2. Diversis appellata est nominibus, pro diversorum temporum statu. Dicitur enim Sanctæ, Iebus, Salem, Jerusalem quod Chaldaicum est, Civitas DEI, καὶ ἡ Ιερουσαλήμ Urbs; sequioribus temporibus Aelia, a Saracenis demum tandem Bethmokedas, id est Domus Sanctitatis appellata est.

3. Sita in meditullio ferè Terræ sanctæ, inter duas Tribus Iude & Benjamin, in finibus montanorum Judæi, loco sterili & saxolo; duos montes: Sionem, cuius pars Moria, & Acram, cum valle ingenti interjacente complexa; & sic in duas Urbes, Superiorem & Inferiorem distributa.

4. Figura ferè circularis, triginta tria stadia magnitudo complectebatur, tribus muris diversi operis cincta, qui centum & sexaginta quinque Turres duodecimque Portas externas habebant.

5. Edi-

DE LOCIS HEBRAICIS.

5. Aedificia multa, cum *Private*, quæ etiam sub Terra ædificabantur; tum *Publica*, non Orientali solum, sed & Græco & Romano splendore inclyta, ut: Regia Davidis, Palatium Herodis, Pilati, & Salomonis; item Annæ, Caphæ, Arix Antonia, Xysthus, Theatrum, Academia, & innumera alia.

6. Extra Urbem verò loca memorabilia: Mons Oliveti, Vallis Josaphat, in qua Torrens Kedron, Hortus Gethsemane, Vici Bethania & Bethphage, omnia in Suburbio Orientali; ad Occidentem Calvaria mons; ad Meridiem Vallis Hinnom & Fons Siloam.

7. Urbs hæc Typus fuit Regni Cœlorum, quod cœlestis Hierusalem appellatur.

C A P U T V.

D E T A B E R N A C U L O.

TABERNACULUM מְוַעַד אֱהָל, Templum portatile, in Deserto ab Israëlitis in medio Castrorum singulari DEI iussu erectum, summam meretur notitiam.

2. Hoc migrante, Populus etiam migrabat, duce Columnâ Nubis & Ignis in Deserto; donec per varios quadringtonitorum & septuaginta novem annorum errores, in Templo a Salomone erecto, recondereretur.

3. Aedificium hoc constabat ex Atriis & Aede ipsa. ATRIUM longum centum, latum quinquaginta erat cubitos, totum velis circumdata, quæ affixa erant columnis sexaginta, singulis quinque cubitos altis. Fuit autem nullò tectum tegmine; cum ipsa Aedes ei inclusa velis operiretur.

4. Erat in Atrio, Altare Aeneum Externum dictum, dicatum sacrificiis, figuræ quadratae, instructum cornibus, opere reticulato & clivō triplici, supra quod erat ignis in tres focos distinctus, perpetuo ardens.

5. Præter hoc, Labrum Aeneum lavandis manibus pedibusque Sacerdotum destinatum; & aliud lavandis Victimis consecutum, prout LXX. tradunt, Num. 4. 14. Quem locum codex Hebraicus non habet, cum tamen eum legerint Veteres, signanter Cyprianus, in Libro De DEO inspiritu & veritate adorando.

6. AEDES ipsa Tabernaculi, ex Sancto & Sancto Sanctorum constabat; utrumque longum triginta, latum & altum decem cubitos, latera ex asseribus de ligno Sitim in Arabia desertis crescente, qui aurô obducti, & basibus argenteis inserti, vestibus & transtillis firmati, aedificium hoc circumdabant,

7. Superne velo quadruplici ex plurimis cortinis con-
fecto tectum erat; quorum extremitas uno a terra cu-
bito pendens aspectum parietum ferè omnem eripuit.

8. SANCTUM, duplo maius Sancto Sanctorum, pro
solis erat Sacerdotibus, ab Oriente velum duplex loco ja-
nuæ habuit. Ornabatur autem Candelabro, Altari suffitūs,
& Mensa Panum Propositionis.

9. SANCTUM SANCTORUM pretiosissimō velo a
Sancto erat distinctum, & nonnisi in Die Expiationis Pon-
tifici Maximo patebat; pretiosissimum Ecclesiae Hebraicæ
Thesaurum Arcam Fœderis in se continens.

10. Tabernaculum hoc Typus est Ecclesia; & quidem
Atrium ejus Externa; Sanctum Interna; & Sanctum Sanctorum
Regni Calorum; Vasa vero ejus omnia erant umbra
CHRISTI & Beneficiorum ejus.

CAPUT VI. DE EXCELSIS.

STANTE TABERNACULO & IN LOCIS EXCELSIS sacri-
ficia fieri solebant; quæ postea, Templo exstructo
erant illicita.

2. De his disputatur inter Judeos & Christianos;
quorum illi planè illicita esse credunt Jof. 22. 19. & 32.
utpote quæ DEUS veruit Deut. 12. 2. Hi vero partim
negant, partim credunt ea fuisse licita.

3. Omnipotè constat Deum ea toties prohibuisse; cum
autem certum sit, legi exempla sacrificiorum in talibus
Excellis; dici potest, in Casibus extraordinariis, Viris San-
ctis id a DEO permisum fuisse; nec tamen licuit priva-
tis hominibus.

4. Quod autem homines aliqui privati hoc fecisse
scribantur, id fuit factum non jus, & erat illegitimum.

5. Notandum tamen est, Judæorum etiam non omnes
accuratè convenire in Doctrina horum Excelsum; id ve-
rum est, quod multam differentiam, inter sacrificia in
his & in Tabernaculo aut Templo celebrata, agnoscant.

6. Fuerunt autem hæc Typi cultus divini, a loco ali-
quo singulare tandem aliquando auferendi, & quod DEUS
ubique locorum tandem colatur & adoretur.

CAPUT VII.

DE TEMPLO HIEROSOLYMITANO.

TEMPLUM יְהוָה, quod in locum Tabernaculi successit,
omnium totius Mundi Templorum augustissimum fuit,
a Salo-

DE LOCIS HEBRAICIS 7

1. Salomone privatis sumptibus *Prius* ædificatum; *Posteriorius*, post unius & quinquaginta annorum ruinam, a Reducibus ex Captivitate Babelis restauratum; quorum *hoc* quadringentos & viginti annos, *illud* vero quadringentos & decem annos durasse *Judæi* constanter credunt; varia-qué fata utrumquæ subiit, in quo tamen major est *Secundi* Templi gloriatio.

2. Nec est, cur eorum numerus augeatur, cum Herodes novum non exstruxerit; imo nec Ezechiel *Tertium* exstruendum viderit, ut *Judei* *Prius* & *Posteriorius* seu *Primum* & *Ultimum* ea vocare soleant.

3. Notitia Templi ex Libris *Regum*, *Chronicorum*, & *Ezechiele*, petenda est; præterea ex Scriptis omnibus *Josephi*, ex *Talmude*, & nonnullorum Christianorum doctissimis in hanc rem observationibus, inter quos præcivit *Villapandus*.

4. Utrumquæ hoc *Templum* fuit exstructum Hierosolymis, in monte *Moria*; qui vertex unus Sionis, cætera ejus parte depresso, ad partem Urbis Orientalem, tali formâ, ut Urbs tota instar amphitheatri *Templum* cingeret; & licet mons *Templi* aliis montibus minor esset; *Templum* tamen inter omnia Urbis ædificia jucundissime emineret, confectum totum ex lapidibus quadratis, tempore CHRISTI præprimis marmoribus stupendæ quantitatis.

5. Montem hunc *Moria* quinque stadia in ambitu habentem Salomon complanavit, & muris ingentibus circumdataum aptum reddidit ædificando in eo tam illustri ædificio.

6. Partes ejus *Judæi* in Montem *Templi*, *Aria*, & *Aëdem*, distribuunt.

7. MONS *Templi*, *Area* ejus vocari potest, muris a Maccabæis circumdatu, Porticibus a Salomone præprimis Herode ornatus, quinque Portis & Turribus munitus, splendidis Sacerdotum & Levitarum habitaculis fastigiatu, formam Arcis firmissimæ habuit, longus quingentos totidemque latus cubitos; in cuius angulo Occidentali fuit *Arx Antonia*, propugnaculum *Templi* firmissimum, Romanorum militum ultimis temporibus excubiis dicatum.

8. Mons hic *Templi* patebat omnibus, ne ipsis Gentibus exceptis; sanctitatis autem partium *Templi* pri-
mum gradum ei assignant; quare vari erant casus, in quibus non fuit licitum Montem huncce *Templi* adire.

9. Ad Portas hujus excubias semper agebant Levitæ; intus vero erat perpetuus hominum confluxus, ita ut pecora quoqué ultimis temporibus, pro sacrificiis, ibi vendita sint.

A 4.

10. Fuit

3 APHORISMI PARTIS PRIMÆ

10. Fuit autem in plano hæc Templi *Area*; cùm Atria Templi & ipsum Templum lateri & vertici montis insedissent.

11. Ante muros Templi decem cubitis erat *Antemurale* tres cubitos altum, ultra quod Gentibus ire non licebat.

12. **ATRIA** in Templo Primo erant duo, in Secundo vērō tria, cùm secundum & tertium, sæpe pro uno habent & Judæi & sacra Scriptura; quæ omnia erant aedificia muris præaltis inclusa sine tectis; omnia Templo: a parte Orientali, præfixa.

13. Atrium primum erat *Mulierum* dictum, ad quod ex montis Templi plano, per duodecim gradus ascendebarunt, omnes semicubitales, in forma femilunari; supra quos erat Porta *Oraya* dicta sive *Speciosa*. Fuit autem centum & triginta quinque cubitos longum & latum, yariis Conclavibus majoribus ac minoribus & podiis instructum, in quo erat etiam *Gazophylacium* Publicum & aliæ Arcae Thesaurariae; Cathedra ingens lignea, ex qua Reges siqulis septenniis Deuteronomium perlegebant.

14. Ex hoc, per quindecim gradus prioribus similes, ibatur in Atrium *Ilyælitarum* per Portam Nicanoris; quod, quia cum Atrio Sacerdotum sæpe conjungi solet, *Atrii Magni* nomen habet.

15. Erat Atrium hoc Magnum centum & octoginta septem cubitos longum, latum, ut prius, centum & triginta quinque; Portis plurimis conclavibusque ornatum; dicatum erat Levitarum Cantui, & Sacrificiis, oblationibusque in eo ritè peragendis.

16. Pars hujus Occidentalis, Sacerdotum Atrii peculiari nomine dicta, tribus gradibus a parte Orientali distincta fuit, & habuit in se Altare, quod *Exterius* dicitur; *Labraqne* varia, lavandis manibus, pedibusque Sacerdotum ministrantium, ut & carnis Victimarum, dedicata.

17. Mactari autem Victimæ Sanctiores solebant ad Septentrionem Altaris, ubi erant unci & columnæ, pro iis jugulandis & excoriandis; que tandem carnes Mensis mortuorum ibi locatis imponebantur.

18. Ex Atrio hoc ascendebatur ad summum montis verticem, per duodecim gradus, quæ ultima ascensio fuit; ubi Ædes ipsa seu Templum propriè dictum fuit erectum; & sic cum Atriis veluti montis marmorei speciem, a longo aspicientibus, ostendebat.

19. Constatbat Templum ex lapidibus candidis, mite elegantiae & magnitudinis, post primos Salomonis labores

DE LOCIS HEBRAICIS.

9

bores diversis curis ornatis; præprimis Herode Magnō ante CHRISTI Adventum illud exornante, ex lapidibus suspendæ magnitudinis; quorum longitudo viginti quinque, latitudo duodecim, crassities octo cubitorum erant.

20. Alta, longa, lataquē Ædes fuit centum cubitos, si omnes ejus partes, quas tres habuit, simul sumantur. Figura ipsius fuit instar leonis, a parte antica latioris, a parte postica vero paulo constrictioris.

21. Partium prima est PRONAON, *Prodomum Græci vocant*, Latini *Vestibulum*; cuius anterior pars erat, insigne Templi frontispicium Orientem aspiciens, viginti cubitis Templum ipsum magnitudine undique excedens, quod splendorem summum huic Templo conciliavit.

22. In hoc ingressus dabatur per Portam quadraginta cubitos altam, & viginti latam; & introeuntibus patebant donaria varia hic suspensa, ut *Clypei* Davidis, *Glaadii* Goliathi, *Mensa* aurea Ptolomai Philadelpi donum, nec non *Mensa* aliæ, *Catenæ* & *Corone* aureæ, & alia summi pretii ornamenta, a diversis Regibus & Magistris Templo donata, & hic asseverari solita.

23. Ante Pronaon vero veluti vigiles stabant, eximiæ Salomonis columnæ *Jakin* & *Boaz*, octodecim cubitos altæ, quæ tamen non aderant sub Templo secundo.

24. Ex Pronao in SANCTUM ibatur per portam auro obductam; cui superposita fuit *Lampas* aurea ingens, Helenæ Reginæ donum; in quam impingentes manæ radii solares Sacerdotes munerum suorum admonebant.

25. Portæ Sancti: quatuor valvis instructæ, velum pretiosissimum prætensum erat; intus autem Sanctum fenestræ caruit, & nullis aliis, præter ea quibus Sanctum Tabernaculi, illustre fuit, hoc est, *Cadelabrum*, *mensa*, & *Altari*, quæ omnia directa Urbe, & exciso Templo, Titus in Triumpho Romæ circumtulit, & ibi multis seculis asserta sunt, & vera eorum imagines, usque ad hunc diem, in Amphitheatro Titi Vespasiani ibidem Romæ cernuntur.

26. Ab hoc Sancto, in Primo Templo, murus erat cubitus crassus; in Secundo vero duo vela pretiosissima *Carapetasma* dicta, abditissimum locum Sanctum Sanctorum disjungebant; quò Pontifex Maximus, uno singulis annis die ibat; & ad septentrionalem ejus partem *Arca Fœderis* locata erat. In Templo vero Secundo, cum ea defuerit, Pontifices totis annis quadrangentis & viginti, quibus illud Templum duravit, Lapidem quadratum, in quo antea Arca quiescebat, loco Arcæ habuerunt; qui etiam usque ad hunc diem, in Templo a Turcis ibidem erecto, ostentatur.

A 5

27. Su-

27. Supra has Templi Aedes, intus aurō undique obductas, fuerunt *Conclavia* superiora ejusdem quantitatis, in quibus Salomon Tabernaculum Mosis recondidit, & ex quorum uno demittebantur artifices in Sanctum Sanctorum, ad ejus aliquam rupturam reparandam.

28. Superior hæc Templi contignatio recta fuit, non more Hebraicō, tectō planō, sed acclivi, quod lorica ænea undique circumdabat, & enes acuminati ex tecto undique prominebant, ne aurō obvolutum Templi tectum ab avibus descedaretur.

29. A tribus Templi partibus, i. e. Orientali exceptâ, ei adhærebant *Conclavia* varia, numerô triginta octo; licet *Josephus* triginta tantum dicat; sed alii *Judæi* constanter numerum priorem observant, in tribus undique contignationibus, singula quinos cubitos alta; in quibus variæ res pretiosæ custodiebantur & astervabantur; præter quæ erant ad Meridiem & Septentrionem Pronai duo *Conclavia Cultrorum* dicta.

30. Mons autem Templi subtus erat totus excavatus, ubi cellas & fornices fortissimos Salomon extruxit; in quorum uno Arcam cum urna mannae, virga Aronis, & Libro Legis, a Jeremia abscondita esse *Judæi* tradunt; qui omnia miranda & magnifica quævis de hoc Templo narrant, & inter ea, decem illa famosa *Miracula*, quæ de hoc curioso obseruant. Vide sis in Append. V. num. III.

31. Quæ autem narrant de Templo Herodis, vix ea sunt credibilia; Quod iste Templum destruxerit, & novum ex fundamentis ædificaverit, ut sic tria Templa non verò duo exstiterint; cùm certum sit, eum Templum novum non ædificasse; sed Secundum, variis ruinis ab Antiocho Epiphane & aliis affectum, multis ornamentis & ædificiis ampliassè; licet *Josephus Historicus* gloriæ suæ Gentis avidissimus, non patum ipsis hac in parte fave vere videatur.

32. Nec *Ezechiel* vidit & descripsit Templum Tertiū aliquando ædificandum; imò nec Secundum, ut aliqui putant Christianorum Eruditi, quod nondum ædificatum erat, nec unquam eā formâ & methodo, quam ille tradidit, ædificatum est; sed vidit Templum mysticum & spirituale, longè majori apparatu & curâ, quam illud fuerat manu factum, ultimis temporibus Novi Testamenti ædificandum.

33. Subiit autem Templum hoc Hierosolymitanum varias mutationes; præter ea enim, quod bis est destructum, semel a *Babylonis* ob sanguinem innocentem effusum; alias a *Romanis* ob odium sine causa, ut *Judæi* ipsi dicere solent

DE LOCIS HEBRAICIS.

xi

Ient, est utrumque septenis vicibus, modò a Regibus propriis, modò ab hostibus expilatum, Thesaurorum præprimis gratiâ; quæ ibi tûm ad Templum pertinencia, tûm aliorum privatorum, securitatis causâ, asservabantur.

34 Omnis autem ejus tam pulcher apparatus, situs, ornamenti, magnificentia, variae partes, sanctitates, prærogativæ, miracula, fataquæ & omnia; erant Typi rerum meliorum futurarum; & quidem significabant, præter Calum proprium ipsius DEI habitaculum ac Templum ecclesiæ, & Humanam CHRISTI Naturam, qui eam *Joh. 2.* Templum vocat: Ecclesiam eamque Catholicam *Novi Testamenti*, amplam, magnificam, sanctam, summis Spiritus sancti thesauris & mundi totius possessione divitem; inaedificatam monti & quidem excelo, superstrutam saxis, i. e. fundamento inviolabili; multis fatis & quidem per septem tempora experiundis subjectam, durabilem usque ad finem Regni & Reipublicæ, i. e. consummationem seculorum; communem omnibus Gentibus, ad eam ultimis temporibus convolaturis, & ibi sacra sua DEO, communi Mundi Domino, oblaturis; adeoque oppositam particulari Veteris Testamenti Ecclesiæ; quæ, per Tabernaculum portatile, scilicet Templum parvum, debile, egenum, paucioribus vasis & partibus instructum, adumbrata fuit. Mira enim est inter Ecclesiam & Templum hoc convenientia, & Scriptura ipsa hic lucem præbet; cum respectu ad Templum hoc, Ecclesiam Catholicam *Templum vocat 2. Thess. 2. 4.* ubi Antichristus prædictitur in Templo *seffurus tanquam DEUS. Zach. 6. 12.* ubi CHRISTUS Antichristo oppositus, dicitur aedificaturus *Templum suum*; & alibi per Scripturam.

CAPUT VIII.

DE TEMPLIS SAMARIAE ET AEGYPTI.

Ad imitationem Templi hujus, *SAMARITANI*, permittente Alexandrō, in monte *Garizim* aliud struxerunt; quod ducentis annis ad Maccebaica usque tempora duravit; a quibus odiosa hæc ædes tandem destruta est.

2. In hoc Ritus multi a Templo Hierosolymitano translati sunt, accedente multâ superstitione, sed & idolatriâ; quâ abreptus Populus, licet se Judæam tenera Religionem mentiretur, & Mosis scripta reciperet; sedis tamen erroribus maculata sacra habuit; quare nulum

lum Judæis cum illis commercium, sed perpetua odia suæ.

3. In ÆGYPTO etiam Heliopoli Templum ab Onia exstructum est, non tali tamen superstitione, ut Samaritanum, pollutum; quod fuit pro Judæis, in Ægypto omni tempore ingenti numerô manentibus.

4. Duravit autem hoc trecentos & quadraginta circiter annos; donec, destruktâ Judaeorum Republicâ, iussu Titi clauderetur.

5. Utrumquæ hoc, oppositum Templo vero DEI, Typus insignis fuit Fallæ Ecclesiæ & Hypocrisie, quæ Veræ se opponit, modò aperte, modò subdolè. In specie autem non male faciunt, qui duplicitis Antichristi: Orientalis & Occidentalis, quandam imaginem in his duobus Templis depictam esse cernunt.

CAPUT IX.

DE SYNAGOGIS.

PRæter Templum, & SYNAGOGARUM, quas Προσευχæs nonnulli vocant, usus erat Judæis cognitus; ut locis istis sacris quoqué cultus divinus perageretur.

2. Non ab initio tamen Reipublicæ Judaicæ harum usus fui; sed destruktâ Templo primâ, in captivitate Babylonica, cœperunt; & postea per Palæstinam, & omnes terras Judæis refertas, multiplicatae, usque diem hodiernum durant.

3. Structura autem earum, ejus ferè, quâ Templo Veterum, figuræ, ex facello & navi Ecclesiæ constabant. Instructæ erant Arcâ Legis, suggestu, sedilibus, luminariis, arcis eleemosynaris, velo, & musicis instrumentis.

4. Usus earum erat, ut preces ibi jugiter recitarentur: Lex postea & Prophetæ, singulis Sabbathis, ex Instituione Ezrae, ibi legerentur: Circumcisio, Excommunicatio, Flagellatio & Eleemosynarium collectio, ibi fierent.

5. Habebant Synagogæ suos Ministros; quorum Praeses dicitur *Archisynagogus*, & multis Privilegijs præ aliis locis erant insignitæ; nec ubique exstribabantur, nisi ibi darentur decem Viri otiosi, ibique in locis altis, saepe extra urbes, arboribus ut plurimum circumdatae. Vide sis eorum *Privilegia* in Append. V. num. IV.

6. Ecclesiæ Christianæ Novi Testamenti, non ex Templo Hierosolymitano, sed ex Synagogis factæ sunt; ita ut illæ, nobilissimi tot Ecclesiistarum Typi fuerint, quarum Rector, instrumenta, usus, mirâ harmoniâ convenient cum omni apparatu Ecclesiistarum Novi Testamenti.

CAPUT X.

CAPUT X.

DE SCHOLIS ET ACADEMIIS
HEBRAEORUM.

Synagogis SCHOLÆ adjunctæ ut plurimū erant; quare multi has cum illis confundere solent.

2. Usus Scholarum ab omni ævo Judæis cognitus erat, Patriarchis Scholas privatas habentibus, usquæ dum primus Samuel publicas ficeret; deinde Salomon ditareret & augeret. Populus in Captivitate magnas erexit, & post reditum florentissimas præprimis Hierosolymis habuit, ad Urbis usquæ Excidium; postea quoquæ celebria Jabbænensis, Zephorensis, & Tyberiensum nomina; quibus destruetis, in Babylone adhuc vigebant Scholæ, ad multa secula, quibus tandem Saraceni finem fecerunt.

3. Scholis præfuit Rector, Principis etiam Titulô appellatus, cum suis Collegis & Ministris; a quo Studiosi, præter Doctrinam Legis Scriptæ & Oralis; alias etiam Artes, Philosophiam præprimis & Jurisprudentiam, discere solebant.

4. Discentibus autem bene meritis, præter alia Privilegia, Honor Doctoratus conferri solebat, quō affecti, Rabbini vocati sunt; cuius nominis usus Judæorum Gentilium usquæ notissimus.

5. Sanctitate Scholæ vel ipsas Synagogas superabant, & pro locis sanctis semper habitæ sunt.

6. Nec sine causa, si quidem Eruditionis & Sapientiae per Orbem totum diffundendæ, Emblemata fuerunt.

CAPUT XI.

DE AEDIFICIIS VULGARIBUS
HEBRAEORUM.

Cognitis Locis Sacris, utile est habere aliquam AEDIFICIORUM etiam apud Judæos notitiam, quæ in Publica & Privata distribuebantur.

2. Utraquæ ex lapidibus, bitumine ut plurimū consolidatis, vel lignis præprimis cedarinis, & cupressis confecta, multum a nostris differebant; si quidem plana eorum Tecta, non fastigia erant, lorica circumdata, nec sibi contigua.

3. Habebant quoquæ Porticus & Atria; illæ sub dio, hæc non item; & partem superiorem ignobiliorem, quæ ferè Hospitalibus cedebat.

4. In

4. In parte domus anteriori erant parvæ *Aediculae*, Præcationibus dicatae, ad quas CHRISTUS alludit Matth. 6.

5. Plantabant ordinariè juxta domos Arbores, ficus, & vites præprimis.

6. Cubiculum, Canaculum, distincta etiam in pauperum loca erant.

7. Curabant quoqué, ut candidas domos haberent & dealbatas vel pauperim; in qua post destructam Urbem sunt superstitionis, aliquâ parte domus non dealbatâ relictâ.

8. Cavebant autem summoperè, ne ullæ picturæ, sculptræ, vel imagines, extra vel intra Aedes, conspicerentur.

9. Schedas etiam מילנ dictas, juxta ostia domorum, parietibus indere solebant; quibus certas Scripturæ sacrae Pericopas inscribebant.

PARS SECUNDA DE PERSONIS HEBRAICIS.

CAPUT I;

DE PONTIFICE MAXIMO.

Inter PERSONAS primum locum tenent SACRÆ, & inter eas PONTIFEX MAXIMUS, לירן פָּנָס appellatus; non tam a pone faciendo, quam a posse facere, ita dictus.

2. Insignis hæc Persona a Synedrio Magno eligi debuit, ex fratribus; si quos habebat, Primogenitus, divitiis & eruditione eminentior; postea lotio, uncio, vestibus sacris induitio accedebant; vestes vero duplices albas & aureas habuit, ultimò & sacrificium additum est.

3. Officium hujus varium erat, quippe DEUM solus per Urim & Thummim interrogabat: Cruxcula duodecim in Altari dietim offerebat: Vaccam rufam comburebat: Diei Expiationis totum ministerium implebat; præterea sine omni forte, pro suo arbitrio, ministrandi privilegium habebat.

4. Nec tamen (ut nonnullis placet) Praeses Synedrii Ordinarius fuit; cum ipse Synedrio subjectus ab eo corrigi & corripi potuit.

5. Varia etiam Privilegia, non solum supra alios homines, sed & supra omnes Sacerdotes, ei erant; quorum

multa

multa ad Sanctitatem, nonnulla etiam ad Ambitionem specent. Vide Appendicem VI. num. II.

6. Este autem debebat ex Familia Eleazaris; licet & ex Ithamaris per errorem quidam fuerint; imo sub Templo secundo, decurtaga eorum dignitate, & ex Benjamini Tribu.

7. Catalogum eorum *Josephus* nobis reliquit, cum quo non in omnium nominibus Talmudici consentiunt; præ primis quod aliqui & binomines fuerint. Vide Catalog. V. in Append. II.

8. Significabant autem omnes ipsi verum Ecclesiæ suæ Caput & Pontificem CHRISTUM; accurate nos id docente Scripturâ, & in ejus nomine Paulô Apostolo.

CAPUT II.

DE PRINCIPIBUS SACERDOTUM.

PRæter Pontificem variae erant in Ordine Sacerdotali dignitates; quæ unō nomine PRINCIPES SACERDOTUM Αρχιερεῖς vocari solent.

2. Erant autem vel Principes propriè sic dicti; quorum Classes duodecim vulgo statuuntur; non tamen tot revera fuerunt, cum quatuor priores Ordines ad unum Pontificem, certò respectu, referri possint.

3. Inter quos eminebat *SAGAN* Παῦλος seu Pontificis Maximi Vicarius, Pontifex Castrensis, & Praefectus Templi.

4. Præter ipsos autem quindecim Praefecti, מפוניין dicti, inferioris dignitatis erant; in tres Classes, quarum singulæ quinos continent, distributi.

5. His omnibus cura Templi, Rerum sacrarum, & Lævitatum incubuit, ultimis præprimis temporibus; cum Templum est multimode auctum & ornatum.

6. Multæ hæ Dignitates Sacerdotales omnino vix valente DEO erectæ, Umbræ erant Hierarchia tantæ, quæ obtinet & obtinuit in Ecclesia Papali.

CAPUT III.

DE SACERDOTIBUS GREGARIIS.

Tertiam & ultimam Sacerdotum Classem GREGARII SACERDOTES constituant, dicti קהנִים; quod Appropinquationem ad DEUM significat.

2. Hoc Titulô sunt vocati omnes de Domō Aaronis, ex duobus ejus Filiis Eleazaro & Ithamaro orti; quorum numerus

numerus tandem ad multa millia multiplicatus est.

3. Hi ad Sacerdotium inaugurarī solebant, solennibus ritibus: 1. *Examine de Familia*, quam aliquis ex Libris Genealogicis docere debuit, semper fuisse Sacerdotalem; ætate, mundis, & corporis *integritatem*. 2. *Vestium*, quas albas quatuor cum Pontifice Maximo communes habebant, *inditione*. *Aspercio* autem cum aliis ceremoniis non nisi Patribus eorum in Deserto facta est, nec in filiis potesta repetita.

4. Distribuebantur autem in Sacerdotes *Literatos* & *Illeratos*. Sed nobilior est distinctio in viginti quatuor *Ephemerias*, seu Clases singulis septimanis ministrantes, a Davide & Salomone institutas; quæ licet in Captivitate Babylonica & Persecutione Antiochi Epiphanis sunt turbatae; tamen semper iterum sunt restitutæ; signanter autem a Repugnatione Templi, per centum & sexaginta annos ad natum CHRISTUM sanctè conservatae; & plurimum faciunt ad indagandum verissimum tempus nati CHRISTI.

5. Multa in Sacerdotibus requirebat Hebraeorum Lex, tum in tota vita, tum eō, quo ipsis ministrandum erat tempore; uti *Nuptias* eorum, *capillitiis*, *mundis*, *sobrietatis*, & similium rerum æxigibiles summam.

6. Multiplex autem fuit eorum munus & ministerium; cui ex officio, aut quotidie, aut totâ vitâ, vacandum iis fuit.

7. *Quosidiana* quidem officia erant: Sacrificia tam jugia, manè & vespèri quotidie, quam alia peragere, suffitus etiam jugiter facere, lucernas accendere, Templi partes interiores præter montem Templi custodire, tubas & buccinas saepius inflare, ac Populo benedicere.

8. *Non-Quosidiana* vero: Populum docere publicè ac privatum atquæ judicare, de munditie & immunditie disquirere, mulierem adulterii suspectam examinare, res DEO devotas aestimare, vitulam *Præcepit* dictam decollare, combustioni Vaccæ rufæ cum Pontifice Maximo adesse, Panes Facierum in mensa aurea curare, ac ad Castra cum Exercitu semper exire.

9. Pro tantis laboribus & fatigiis certa habebant salario, & quidem multa; ita ut ditissimi homines essent; præter urbes enim a se possessas, multiplices habebant redditus; quorum viginti quatuor Classes in Gemara *Chullin* cap. 133. Judæi enumerant, quorum decem in Templo; quatuor Hierosolymis; decem vero in suis urbibus, absimere licuit.

10. Sacerdotes autem omnes CHRISTUM significabant, frustra negantibus Socinianis; præter ipsum autem, omnes

omnes Novi Testamenti Fideles; quos uti DEO jam proximos Scriptura sacra per CHRISTUM Sacerdotes esse factos docet.

CAPUT IV.

DE LEVITIS.

LEVITÆ סְנִירָה Sacerdotibus adjuncti erant, qui jam pueri DEO statuti; postea viri, præmissi examine, aspersione, ratione, lotione, vestium inductione, agitabantur coram DEO; quô ritu, ut sacrificia, DEO sacrabantur.

2. Erant æquè ac Sacerdotes in viginti quatuor Classes distributi, & illæ in septem familias, ad jugiter in Templo ministrandum.

3. Officia eorum erant: canere, coram DEO excubare, Sacerdotibus servitia præstare, curare ac vehere vaſa Tabernaculi; quod inter tres eorum familias distributum erat, populum præterea docere & judicare.

4. Pro quibus laboribus in Templo & extra illud totâ Terrâ Cananæa præstandis, cedebant iis iussu DEI totius Gentis decimæ; quadraginta octo insuper urbes cum suis agris; ex quibus tredecim Sacerdotiales & sex Refugii erant; licet in nonnullis casibus, omnibus Levitarum urbibus Jus Asyli competenter.

5. Significabant autem Ministros Ecclesiæ Novi Testamenti in Domo DEI & tota Terra ministrantes; sed & simul Fideles Ecclesiæ ejusdem, puritate obedientiae CHRISTI mundatos.

CAPUT V.

DE CANTORIBUS ET JANITORIBUS.

CANERE munus erat non tantum Levitarum, sed & nonnullorum ex Iſraëlitis; hi etiam, florentibus sub Davide Judæorum rebus, in viginti quatuor Classes distributi sunt.

2. Cantus autem ore & instrumentis musicis fuit, quæ commodè ad tria revocari possunt: Citharam, Cymbalum & Nablium.

3. Habebat plurimos Ecclesia Judaica Hymnos; quorum pars aliqua sunt Psalmi nostri, & licitum fuit Canaticum novum cuiilibet componere.

4. Certos autem singulis diebus canebant Psalmos, stantes ultra Altare in suggestu altiori; sâpe tamen & alii,

18 APHORISMI PARTIS SECUNDÆ.

ut illud Mosis Canticum Deut. 32. &c. sunt adhibiti, singulis Psalmis in Pausas distributis.

5. Tubas & Buccinas his tangere vetitum erat, & solis Sacerdotibus eas tractandi jus competebat.

6. JANITORES pari ordine & conditione cum Cantoribus erant, ad custodiam Templi diversis locis constituti; tum ob maiestatem ejus, tum ad defensionem thesaurorum, quibus Templum referunt erat.

7. Nec etiam horum Domus DEI Servorum ministerium mysterio caruit; significans diversa munia Ministrorum in Domo DEI jugiter laborantium & excubantium.

CAPUT VI.

DE VIRIS STATIONIS ET NETHINÆIS.

EX Israëlitis etiam vulgaribus certi semper homines in Templo adesse debebant, **תְּבוֹדִים וַיָּשָׂרֶב** VIRI STATIONIS vocati; si quidem totus Populus in viginti quatuor iterum Clastes distributus fuerit; quarum una aut aliqua ejus pars, viginti quatuor ad minimum homines, in Templo praesentes erant.

2. Horum officium fuit totum Populum representare, & Sacerdotibus ac Levitis variis servitiis adesse.

3. Socii eorum una cum ipsis, jejunis quatuor dierum per hebdomadam & variis pietatis exercitiis vacabant.

4. Præter hos, NETHINÆI **נְתָנֵן** dati Levitis erant, Gibeonitæ olim ex Captivitate Babelis quoque reducens, ad ultimum Urbis Excidium per Romanos, superfuerunt.

5. Hi multum odiosi Israëlitis, matrimonio ipsis non conjungebantur; vicitabant autem ex eo, quod Levitæ illis cedere volebant. Typus autem erant *Genitilium Fidelibus datorum*; uti priores, id est, Viri Stationis, Ecclesie nunquam deficientis.

CAPUT VII.

DE SYNEDRIIS HEBRÆORVM.

EX Sacerdotibus, & Levitis maximam partem solebant constare SYNEDRIA Hebræorum, **סְנָהָרִין**, que multiplicita erant.

2. Primum & omnium Maximum LXX. Virale; de cuius origine, an a Mose vel Ezra sit? non omnino constat; satis est, post Captivitatem illud admodum celebre fuisse.

fuisse, imò post excidium Urbis diu superfuisse.

3. Constatbat ex Viris septuaginta; quorum Præses, septuagesimus primus, PRINCEPS dictus est; qui omnes, Viri ætate, judiciō, doctrinā, & moribus graves, primum in conclavi Gazith sedebant, postea in diversa inde loca Synedrium hoc translatum est.

4. Singulis autem diebus manè sessio ejus fuit, judicantis de rebus maximis, ad Rempublicam & Ecclesiam pertinentibus.

5. Capitis Pœnæ ab hoc irrogabantur quadruplices: decollatio, strangulatio, lapidatio & combustio; præter quas non fuit usitatum ullum mortis genus apud Judæos.

6. Primus hujus Præses, cuius summa fuit authoritas, Ezras traditur fuisse; & decimus sextus ab illo Rabban Gamaliel ultimus. Vide Catalog. VI, in Append. II.

7. Synedrii hujus nomine omnia Acta Publica fiebant, & Judæi fusi sunt ad ejus laudes extollendas.

8. Praeter hoc Minus fuit, viginti trium Virorum; qualia duo Hierosolymis, cuius authoritas, dignitas, & omnia minora erant, quam prioris.

9. Minimum, quod in omnibus locis erat, trium Virorum; quod de rebus pecuniaris judicare solebat & minoribus; nec mortem, sed pœnas leviores inferre poterat.

10. Judicium Proselytorum, uti & Sacerdotium & Pontificum dictum, minoris erant momenti; nec multa de iis Judæi tradunt.

11. Omnia autem Synedria ea Typi insignes erant Regiminis Ecclesiæ; quam non Monarchice, sed Aristocraticæ per plures consentientes DEUS regi voluit.

CAPUT VIII.

DE REGIBVS.

I NTER Personas Hebraicas in Templo noui ministrantes, primum locum tenent REGES, מלכי dicti; quæ vox latius, quam hodie apud Judæos ut & alias Populos veteres, patuit.

2. Primum apud Hebræos Theocraticum regnum fuisse notum est; quod postea spretò, Reges sibi Populus habere voluit, quorum primus Saul, ultimus Agrippa Junior, in universum quinquaginta quatuor erant. Vide Catalog. III. & IV. in App. II.

3. Erant autem semper masculi, & ex Gente Iudaica, nec fordidis ullis artibus dediti; postea electi ungebantur

B 2 gebantur

gebantur oleo in formam circuli; licet non omnes, sed de quorum successione controversia moveretur.

4. Vestitu utebantur non purpureo, sed caeruleo, ut sacrae Personæ; nec Coronarum apud ipsos, sed Diadematis, quō caput circumcingebaratur, erat usus.

5. Officia eorum multa erant, Belli Pacisq[ue] jus, decimatio bonorum omnium populi, & multa alia iis competitabant, & quod I. Sam. 8. מִשְׁפָט הַמֶּלֶךְ traditur, non est *Jus Regium*, sed usuratio.

6. Prohibiti autem sunt à DEO, ne uxores multiplicarent, quas ad octodecim Judæi determinant; equos, aurum, argentum, ne colligerent, ne superbi essent; & ut Legem DEI propriis manibus descriptam Populo prælegerent.

7. Prærogativæ eorum, quibus ab aliis hominibus differebant, numerò triginta in libro Balœnū legi possunt. Vide & Append. VI. num. I. An autem Synedrio Magno subjecti fuerint? disquiritur.

8. Maxima illorum in bellis authoritas fuit, & jus habendi omnes Captivos, & clemidiam, si voluerint, prædæ obtentæ partem accipiendi.

9. Significabant autem nihil aliud, quam Regem post illorum tempora expectandum JESUM CHRISTUM, unitio-ne, authoritate, & quoad alia ipsi per omnia similem, qui toties Rex Pacis, Justitiae, Populi, Gregis, Ecclesiæ suæ dicitur, qui bonis suis nos fratres ditat, faciendo Reges Apoc. I & eorum major saepe splendor, alias minor, modo pax, modo bellum, diversam Ecclesiæ admini-nistracionem, atros abhosquæ ejus dies representant.

CAPUT IX.

DE PROPHETIS.

PROPHETÆ proximè post Reges collocati sunt, pri-
us וְנִזְמָן Videntes dicti, postea Prophetæ נִזְמָן, quod nomen laxius olim sumptum, pro Doctoribus etiam & Poëtis acceptum est; licet Prophetam esse plus sit, quam Doctorem.

2. Ad Sacrum illud munus inauguratū non semper & necessariò ungebantur, fuit tamen vocatio & ordinatio; vestituque ab aliis hominibus distincti, quō agresti ac durō utebantur, fuere.

3. Primus eorum Adamus vulgo statuitur, quem Clemens Alexandrinus etiam Prophetam appellat cum aliis. Sex usque ad Legem; post Legem Pater omnium Moses; & postea

DE PERSONIS HEBRAICIS.

21

postea viginti duo solis nominibus noti; unus *anonymus*, quinque mulieres, & quindecim scriptis Canonicis incliti; Danielem enim Judæi eorum numerò eximunt, ita & Davidem & Salomonem, quos imitati sunt nuper portentosi quidam inter Christianos Critici.

4. Mulieribus quoque nonnullis donum hoc extraordinarium communicatum est; cum & apud Gentiles nonnullæ *Pœiriae* & *Philosophisse* inventæ sunt.

5. Non tantum sub Templo primo autem erant, sed sub secundo etiam; cum Spiritus prophetandi nondum cefaverat, & nonnulla exempla dāntur Prophetarum post Captivitatem Babyloniam.

6. Distinguebantur Prophetæ veri à falsis certis characteribus; quos ex sacris literis utriusque Testamenti eruere licet. Unus autem character non sufficit ad Prophetam genuinum cognoscendum; sed plures semper adesse debent; donum etiam prophetandi & modus non fuit æqualis, ac ejus plures gradus apud Judæos constituuntur.

7. Munera eorum varia erant, ut: voluntatem DEI populo annunciare, eum docere, consulere, monere, & religionis veritatem per miracula, aut si ita res tulerit, morte etiam confirmare.

8. Privilegiis erant donati præ aliis hominibus, si quidem erant DEI servi & legati, & ob Prophetæ sanguinem excisum Templum primum credant Judæi, & nonnisi a Synedrio magno judicari poterant, & eorum suffragia erant prima & maxima.

9. Significabant autem *CHRISTUM*, qui Propheta e medio fratribus suorum vulgaris & non splendidus, secundum vetus Mosis oraculum, prodire debuit, ordinatusque, id est, unctus est, quod non saltem nos credimus, sed & Judæi veteres crediderunt & agnoverunt.

CAPUT X.

DE SECTIS POST PROPHETAS EXORTIS.

Deficientibus Prophetis, HÆRESES variae iis successerunt, omnes sub Templo secundo ortæ; sub Primo enim Idolis addicti Judæi erant, quales: *Moloch*, *Rempham*, *Camos*, *Asteroth*, *Mauzim*, &c. Sed sub secundo facti cultiores & cum Græcis commercia in dies habentes Hæreses excogitandi animo imbuti sunt, & ad hunc diem superstitionis summi Patroni, idolatriæ autem hostes infensissimi sunt.

B 3

2. Hære-

2. Hæresium prima PHARISAICA פְּרִישָׁאַת fuit, præ aliis famosa, ex Philosophia Platonica orta; hi Legi scriptæ Oralem & Traditiones annexebant; transmigrationem animarum Pythagoricam credebat; vitam, mores, vestitus, gestus ab aliis distinctos sequebantur; omnia ad superstitionem, hypocrisim & superbiam conferentes; quare aliis Judæis exosi & variis convitiis proscissi audiebant.

3. SADDUCÆI צַדּוּקִים autem boni Præceptoris pessimi discipuli Epicuri dogma sequebantur; adeoque Pharisæis oppositi, omnem vitam impuram & cynicam vivebant, ob id quod vitam futuram ac resurrectionem negarent; mentes quoque tam nostras, quam Angelicas pessimè cum corporibus confunderent.

4. ESSÆI Ἐσσαῖοι aliis meliores, vitæ privatæ austerritatem secuti sunt, Pythagoræ præceptis imbuti, in desertis procul a confortio hominum, cælibes & omnia in commune componentes vivebant, variis artibus & pietas exercitiis dediti. Johannes Baptista ex eorum disciplina fuit, quod tempore, ingenti numerô, juxta Mare mortuum habitabant.

5. Præter has Hæreses minoris numeri & nominis erant HERODIANI, non qui Herodem Ascalonitam sive Magnum pro Messia colerent; sed ejus impia facta (Saducæorum propago aliqua) approbarent. GAULONITÆ, qui Romanorum imperio subesse nollent. SAMARITÆ, qui mores ritusque Chuttæorum secuti, ex Judæis ad ipsos deficiebant.

6. Præterea Judæi omnes In CARÆOS, id est, Scripturarios & RABBANITAS, id est, Traditionarios distributi sunt; & ad hunc diem, hi, illos, qui in Oriente multi sunt, odio prosequuntur.

7. COELICOLÆ Judæi non erant, sed Hæretici; sic & Cultores Bacchi & Afni pessimè a Gentilibus Judæi vocantur. BAITHOSÆI Sadducæorum, HEMEROBAPTISTÆ, id est, quotidie se lavantes, nomina alia sunt.

8. Hæ autem Hæreses tot Sectarum & Religionum inter Christianos oriturarum luculentí Typi sunt; cum cuivis pateat Pharisæos Pontificiorum Superstitiosorum & Glossariorum; Sadducæos verò, sub titulo Christianismi impie & Gentiliter viventium, emblemata esse.

CAPUT XI.

CAPUT XI.

DE PERSONIS RELIGIOSIS.

Praeter hos Personæ Religiosæ quoquè erant; Iiquæ Naziræi vel Rechabitæ dicti sunt.

2. NAZIRÆI נִזְרֵי, a separando sic dicti, a DEO in deserto instituti sunt Num. 6. Erantqù vel Ad Certum Tempus, vel In Perpetuum; voveri enim Naziræatus poterat, a quo voto intra non extra Terram Sanctam solvi licuit.

3. Abstinebant autem Naziræi ab omni potu inebriante; imò & aceto & esu uivarum qualicunquè; licet comas alere & se non radere deberent; nec dōnum mortui ingredi, nec a propinquis pollui possent.

4. Naziræatu tandem exactō (quem infra triginta dies vovere non licuit) per Sacrificia cruenta & incruenta, capillorum abrasionem, ac eorum combustionem solenniter a voto solvebantur.

5. Multi tales omni tempore apud Judæos erant Naziræi, insignes omnes Typi JESU CHRISTI; qui licet Legalis Naziræus non fuerit, erat tamen reverè talis quales ipsi, quare & Naziræus appellatur.

6. RECHABITÆ, Chinæorum Gens ex Jethronis familia, inter Israëlitas vixerunt; quibus etiam Israëlitarum multi se adjungebant; licet multi afferant, nullos Israëlitas fuisse aut esse potuisse Rechabitas.

7. Hi instituti sunt a Jonadabo Ier. 35. qui eos a Patre suo Rechab denominavit.

8. Leges autem eorum erant: Agros non colere, Vineas aut hortos non plantare, in domibus non habitare, ac more Naziræorum a vino abstinere.

9. Ad quas duriores vivendi leges præscribendas impulsus est Jonadab. 1. Ut eos a rebus mundanis avocaret ad cœlestia. 2. Ut peregrinos in ea terra esse ostenderet. 3. Sic nec Judæos terræ suæ nimium adhærere debere indigitaret.

10. Quare insigniter significarunt Statum fidelium sub novo Testamento; quibus mundana non relinquere, & superiora non querere, religio esse debet.

B 4 CAPUT XII.

CAPUT XII.

DE SCRIBIS ET RABBINIS.

SCRIBÆ, cujus vocis non ea apud Hebræos quām apud Græcos significatio, duplices apud Hebræos erant. *Sacri* quidem & *Profani*. Illi Eruditorum, Doctorum, Sapientum, Legisperitorum, & sæpè Prophetarum nominibus veniunt.

2. Horum origo licet jam a Mose petita sit; sed retriūs ab Ezra derivari debet; a cuius ævo, Sacerdotes hoc olim munere functi rebus politicis applicati sunt; & alii Eruditæ Scribarum nomine veniunt.

3. Officium autem eorum fuit: Legem interpretari, Scripturam sacram expōnere, a corruptelis vindicare, populo prælegere, Genealogias affervare 2. Reg. 22. 10. Matth. 7. 29.

4. Nec fuit ulla certa inter Scribas & Legis Doctores distinctione; cùm hi nec in Scriptura Sacra distinguantur, nec satis bene urgeat Epiphanius *Hæresi* 15. & 16.

5. Docebant autem cùm in Templo Hierosolymitano, tūm in Synagogis.

6. Alii Scribæ Civiles erant, quos Regibus Scriptura sacra, Princibus Tribuum Josephus adhæsisse dicit; ita & Principibus Civitatum, qui ex quavis Tribu esse solebant.

7. RABBINORUM nomen paulò ante CHRISTI tempus exortum est, Duce quodam HILLELE; qui illud Babyloniam apportavit, cuius Posteri Rabbinorum nomine supra alios Sacerdotes insigniti sunt.

8. Hi variis modis distinguuntur, pro iis quæ scribunt præprimis, & est eorum ingens multitudo ad hæc usqué tempora; inter quos sunt multi Sacrae Scripturæ Interpretes.

9. Nec caruerunt hi omnes insigni significatione; sed procul omni dubiō, multiplicem in Ecclesia Eruditionis lucem ac Doctrinam multitudinem indicarunt; quò & Apostolus alludit 1. Cor. 1. 20.

CAPUT XIII.

DE MAGISTRATIBUS HEBRÆORUM.

MAGISTRATUS Politici *A'gōntes* vocantur, quod Principatum obtinentes significat, & eorum officia erant, imperare & jubere; quod Aristoteles Libr. 4. Politicor. Cap. 15. docet. 2. Hi qua-

2. Hi quadruplices erant: *Primò* totius Gentis, quae: Moses & Judices, instar ferè Dictatorum apud Romanos. Reges in quatuor Classes distributi & Principes, qui Maccabaici, Herodiani, & Procuratores Romani. Vide Catalog. II. III. & IV. in Append. II.

3. *Secundò*. Principes Tribuum seu Philarchæ, qui Thronis suis illustres erant, & Regibus assistendo unâ cum iis judicabant.

4. *Tertiò*. Principes Familiarum seu Patriarchæ, quæ Dignitas & in Captivitate Babelis permanxit, & post excidium per Titum factum, Judæi exules Praefectos hos suos habuerunt,

5. *Quartò*. Principes Civitatum, qui in Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones distributi sunt.

6. Significarunt autem cum *Gentis* Hebraicæ splendorem, tum Ecclesiæ multiformem & per multos futuram administrationem.

CAPUT XIV.

DE CIVIBUS HEBRÆIS, PROSELYTIS, ET PUBLICANIS.

Homines Terram Sanctam inhabitantes *Cives* erant vel *Advenæ*. Illi ex Familia Jacobi variis præ his Privilegiis & honoribus ornati erant.

2. Hi PROSELYTI dicti sunt, & in duas Classes divisi erant, id est, in Profelytos *Jusitie*, qui omnes ritus Judaicos & Ceremonias cum Circumcisione observabant; & *Inquiliños*, qui solis Praeceptis Noachicis fideliter re-tentis, Gentilismum exuebant, nonnisi baptisme initiati.

3. Multæ illorum præ his prærogativæ, tum in Sacris, tum in possessionib; tum in matrimonio; Et hi multūm coram Judæis semper odiosi.

4. Plurimi olim, præprimis circa tempora CHRISTI, apud illos Profelyti, hodiè nulli; nec nisi superest spes, temporibus Messiae eos multiplicatum iri.

5. PUBLICANI non tantum ex Profelytis erant, ut Tertullianus olim putavit, sed & ex Israëlitis; cum Matthæum, Zaccheum, & alios tales fuisse certum sit.

6. Erant autem post Romanorum apud Judæos imperium, sexaginta ferè ante CHRISTUM annis, pecuniarum exactores; quorum supremus Praeses Romæ erat, & hoc hominum genus Judæis fuit planè exosissimum, ita ut Testimonia eorum recepta planè non fuerint. 7. Prof.

7. Profelyti omnino significarunt Gentes, ad Ecclesiā ultimis temporibus convertendas, ex quibus multi veri Christiani futuri sunt, præter plurimos Hypocritas.

PARS TERTIA.

DE REBUS SEU ACTIONIBUS
HEBRAICIS.

CAPUT. I.

DE SACRIFICIIS IN GENERE.

Intra Res, quæ Sacre & Profane erant; Sacrae primum locum tenent; quæ in varias Classes divisæ sunt, quarum prima sunt *Sacrificia*.

2. **SACRIFICIA**, insignis Antiquitatum pars, nomine generali קָרְבָּנוֹת dicta, sunt *Cruenta* vel *Incruenta*; illa autem commode in *Sanctissima* & *Minus Sancta* dividuntur; quæ vel *Publica*, vel *Privata*; vel *Privata Publicis similia* vel *Publica Privatis similia* erant.

3. **Origo Sacrificiorum** est ab ipso *Paradiso* & *Promissione CHRISTI* ibi facta repetenda; eaquæ singulari DEI jussu & instinctu inchoata sunt, accendentibus in Fœdere Synaitico novis ritibus.

4. **Sanctitate** autem ea differebant, quorum & gradus a *Judæis*, quibus hæc commissa erant, statuuntur.

5. **Solebant** autem ea offerri quolibet die festo & profesto; & quidem in loco a *DEO electo Tabernaculo & Templo*; quo destructo non amplius sunt ulla sacrificia.

6. Non omnia animalia erant iis apta; sed munda tantum, eaquæ selectissima & integra; ex quadrupedibus quidem: boves, oves, & capræ; ex avibus: Turtures & columbæ. Immunda autem, ut esui inepta, *DEUS nobebat* suæ mensæ adferri, ut nec homines.

7. **Varii** erant ritus circa sacrificia observari soliti, ut: constitutio animalis ante faciem DEI, manuum impositio, agitatio, mactatio, sanguinis exemptio, ejusdem sparsio, animalis excoriatio, dissectio, salitio, commestio, combustio, & sepultio.

8. **Significabant** autem *Sacrificia ipsum CHRISTUM*, ad cuius oblationem usquæ *Sacrificia offerri* debebant, non autem ultra eam, quod omnes ritus & ceremoniæ sacrificiorum *CHRISTO convenientes* insigniter docent.

CAPUT II.

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 27
CAPUT II.

DE SACRIFICIIS SANCTISSIMIS.

Sacrificia SANCTISSIMA dicta sive Prima vel Majora quatuor sunt, eaqué omnia cruenta.

2. Primum eorum sunt HOLOCAUSTA, עולות dicta, quæ habentur pro primis & præstantissimis Sacrificiis, a quibus etiam Moses incipit Lev. I. & ante eum alii; non tamen Cain & Abel hōc Sacrificiō usi sunt.

3. Hæc autem Publica, quæ publico nomine offerebantur, vel Privata erant. Publica pro Judæis & pro Gentibus offerri solebant, ex omnibus animalium aptorum speciebus, & omnia eorum membra DEO cedebant.

4. Insignis quidem erat in hoc Typus CHRISTI, qui totus combustus est, id est, in omnibus suis membris & tota vita passus.

5. Secundum, PIACULARIA פְּאַתָּה dicta sunt, quæ vox significat Aberrationem, quod Sacrificium a multis, cum eo, quod **לְוִיָּה** dicitur, confunditur; male tamen, cum diversa omnia hujus ab illius sint.

6. Erant & hæc Publica vel Privata. Alia distributione: Stata vel Variania. Iterum: Quæ comedebantur vel Comburebantur.

7. Ritus horum rigidissimi erant, ut vel vasæ, in quibus parabantur; confringerentur; aut si ænea essent, lavarentur; quæ attingebant, polluebantur; defuit odor bonæ fragrantiaæ, sic & Ferra ac Libamina deerant.

8. Significabant autem CHRISTUM ipsum peccata nostra expiantem, & quidem statim & immedietè, eo quod is extra castra, id est, Urbem Hierosolymam sit occisus.

9. Tertium, **לְוִיָּה** pro Reatu vel Delicto; quod distributum est: Pro Delicto Dubio & pro Certo. Adhibebaturque ut plurimum ob peccata adulterii, rapinæ, sacrilegii, pollutionis, præsertim ob lepras.

10. Hoc etiam CHRISTUM significabat, in eo præprimis, quod per eum omnia peccata, etiam minima sublata sunt.

11. Quartum, שְׁלֵמִיָּה SALUTARIA sunt, aliæ Pacifica dicta & Eucharistica; quæ etiam Privata & Publica erant; Publica autem Necessaria vel Voluntaria.

12. In hoc, mares & foeminæ animalium mactatæ sunt, ablegmina combusta; reliquæ partes a Sacerdotibus & offerentibus edebantur.

13. Significabant etiam CHRISTUM nobis pacem adferrentem;

rentem; eumquæ tūm futurum fortē leonem, sed & debilem ac infirmum hominem, & quod salutis per ipsum partæ, omnes, hoc est, mares & foeminæ &c. participes essent.

CAPUT III.

DE SACRIFICIIS MINUS SANCTIS.

Sacrificia MINUS SANCTA præprimis dicebantur, quia privatō & non publicō nomine offerebantur.

2. Primum eorum sunt PRIMOGENITA ANIMANTIUM, quæ sacra sibi DEUS esse jussi; de quibus Lex Exod. 13. 6. Quæ vel *Hominum* vel *Animantium* mundorum & immundorum erant. Hominum Primogenita, & immundorum animalium redimenda erant; mundorum vero DEO offerenda.

3. Significabant hæc Primogenita Primogenitum CHRISTUM DEO sacratum; & redemptio aliorum, redemptionem per CHRISTUM procuratam, &c.

4. Secundum sunt DECIMÆ ANIMANTIUM purorum scilicet, de quo Lev. 18. quæ ex bovibus, ovibus & capris esse debebant ante tria Festa, בְּנֵי לְגָדִים dicta; non autem ex hominibus vel animalibus immundis.

5. In his quoqué jucundus CHRISTI Typus, qui Ecclesiam suam totam sanctam reddit; propter CHRISTUM autem Electionis Mysterium hic videre, non est quoqué impossibile.

6. Tertium, AGNUS PASCHALIS אֶתְנָה πάσχα, Iudeis testibus, omnium Sacrificiorum cognitu difficultissimum, licet sint multi, qui Sacrificium esse negent.

7. De hoc præceptum DEI exstat Exod. 12. in ipso ex Aegypto exitu, quod ad finem usque Oeconomie Judaicæ observare Genti Hebraicæ postea sacrum fuit.

8. Agnus ergo ille decimō quartō die נִיסָן matabatur in atrio, & sanguine excepto cum ablegminibus, carnes assabuntur in fornace lateritia, super veru instar crucis formato; postea comedebatur a pluribus, cum vieni potu, azymis, herbis amaris, & embammate, ac Hymnorum cantu.

9. Edebatur autem in Urbe tota Hierosolymitana ac ejus suburbis, per mille circumquaqué passus structis tentoriis.

10. Ritus sunt postea multiplicati præ iis, quos egredientes ex Aegypto Israëlitæ observabant; quorum paucissimi hodiè apud extorrem Gentem Judaicam supersunt.

II. Nihil

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 29

II. Nihil autem accuratiū hōc Sacrificiō *CHRISTUM* expressit, eōdem planē tempore etiam oblatum; ita ut omnes circumstantiæ occasionis, mactationis, afflationis & commestionis Agni Paschalis, mirō modō, ipsi *CHRISTO* vero Agno Paschali quadrent, & Judæos confutare possint.

CAPUT IV.

DE FERTIS ET LIBAMINIBUS.

P Ræter Sacrificia *Cruenta*, erant *Incruenta*; quorum *Prima Classis* erant: *Ferta & Libamina*, quæ ex frumento, hordeo, oleo, sale, thure; item ex Aqua & Vino constabant.

2. Erant autem *FERTA*: *Libamina* dicta & *Ferta Propria*; inter quæ multa fuit disconvenientia. Distribuebantur quoqué in *Publica*, qualia: *Manipulus Paschalis*, *Panes Pentecostales & Propositionis*; vel *Privata*, quorum quinque a DEO *Jussa*, ut: 1. *Peccatoris*. 2. *Pauperis*. 3. *Sacerdotis*. 4. *Zelotypiæ*, & 5. *Crustulorum*. *Quinque* vero *Voluntaria* erant: 1. *Farina*. 2. *Placentæ*. 3. *Laganæ*. 4. *Panis*. 5. *Jusculi* instar.

3. Solebat manu Sacerdotis pugillus accipi & dari altari; reliquum a Sacerdotibus edi; & dicta *Reliquiae Ferorum Israëlis*.

4. Habebant *Ferta* certas mensuras, quæ a quatuor tesseris dependebant, & eorum usus in Templo; Quorum 1. habuit *Inscriptionem*: *Hircus*. 2. *Masculus*. 3. *Vitulus*. 4. *Peccatoris*. Quibus singulis certa olei, thuris, salis, vinique mensura adhibenda fuit, & id *Præfecto Tesserarum* commissum erat.

5. *LIBAMEN Vini & Aquæ* a Sacerdote ferebatur ad angulum Altaris notozephyrinum, & ibi Cisternæ infundebatur, & ad basim Altaris defluxit. *Vinum libatum est quotidie, Aqua semel in anno*.

6. Erant autem hæc insignes Typi: 1. *CHRISTI*, qui *Panis* est *vita*; *Oleum*, ejus *unctionem*; *vinum*, *bilaritatem*; *thus*, *præstantiam* meriti ejus; *sal*, *vim corroborandi*, significant. 2. *Ecclesiæ Christianæ*, quæ non *cruenta & ceremonialis*, ut *Judaica*; sed *spiritualis* esse debet. 3. *Sacramentorum*, quorum, *Baptismum* aqua semel libata; *vinum* sæpe, *Sacram Cenam* sæpiissimè offerendam insigniter repræsentavit.

CAPUT V.

CAPUT V.

DE SUFFITŪ.

A Literam Classem Incriuentorum constituit SUFFITUS, Sacrificium Incensi dictum, quem Moses ex Balsamo, Onyche, Thure, Galbano, a DEO facere jussus est.

2. Conficiebantur autem trecentæ & sexaginta quinque libræ, pro tot anni diebus, & pro die Expiationis tres libræ, cuius aliqua pars in mensa aurea continuò cum panibus proponebatur.

3. Sorte suffitus siebat, ad ortum & occasum solis, quotidie acceptō igne de altari exteriori, & illatō ad altare aureum, quod in Sancto fuit, quod fumō suffitū impleri debuit.

4. Suffitus cùm siebat, Populus foris extra Templum orando stabat, & suffitu peractō, Sacerdos cineres extra castra ferebat, instrumentis suffitū, quæ trairant, ad latus altaris holocausti suspensis.

5. Non autem Sacerdoti uni præter semel suffire licuit, nec ulli Levitæ vel Israëlitæ; quare hæc res magni apud Judæos habita est.

6. Significavit autem Spiritualitatem quandam Ecclesiæ Judaicæ sub veteri Testamento, & simul CHRISTI meritum totam Ecclesiam implens.

CAPUT VI.

DE PRIMITIVIS ET PRIMITIIS.

POst Sacrificio sunt OBLATIONES sacræ, inter quas primō loco sunt Primitiva & Primitia; quæ multi magnō errore solent confundere.

2. PRIMITIVA בְּכָרִיר vocantur, ex septem fructuum generibus: Hordeo, tritico, uvis, ficubus, olivis, malogrammatis, dactylis; omnibus in una corbe allatis, in Templo offerenda.

3. His quantitas non erat definita, cùm sint ex numero decem illarum rerum, quarum quantitatem Judæi ignorant, ex præcepto DEI & Sapientum.

4. Post eorum oblationem debuit offerens confessiōnem recitare, eam quidem quæ exstat Deut. 26.

5. PRIMITIA פְּרִימִית appellantur, quæ nomenclatio latius etiam aliquando patet, & differunt a Primitivis ut iis posteriora, & quod ex omnibus proventibus dari debebant.

6. Hæ-

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 31

6. Hæ offerebantur Sacerdotibus per totam Palæstînam habitantibus, qui eas ubique locorum edere poterant cum omni sua familia, & erant mediæ sanctitatis inter Primitiva & Cibos Sacros.

7. Quia autem Proventuum terræ præcipui erant : Triticum, Oleum, Vinum, hinc sèpè in Scriptura sacra, omnes proventus horum nomine veniunt ; sic & Primitiae horum, pro omnibus Primitiis aliorum etiam terræ fructuum, accipi solent.

8. Depingunt autem duas hæ oblationes : 1. CHRISTUM per quem reliqua massa sanctificata est. 2. Ecclesiam ejusque Relationem maximam ad DEUM, hujusque majorem ad eam, quam mundum totum.

CAPUT VII.

DE DECIMIS.

Tertia Oblationum Sacrarum sunt DECIMÆ ; Ecclesiasticis, apud Hebræos non solum, sed & plurimas Gentes barbaras, dari solitæ.

2. Decima ergo omnium Terræ fructuum pars Levitis cedebat ; non autem rerum pretiò emptarum, nec piscium, aut similiūm rerum.

3. Dabantur omnibus annis præter Sabbathicūm, & in iis Judæi vulgares sèpè in defectu Pharisæi verò in excessu peccabant.

4. Cum autem Decimæ Levitis datae fuissent, ipsi iterum Decimas ex Decimis Sacerdotibus dabant ; quas tamen sèpè diiores Sacerdotes Levitis remittebant.

5. Factâ Decimatione, iterum pars decima segregabatur ; ut in Festis magnis, hospites inde Hierosolymis laute viverent, adhibitis sèpè Levitis & Sacerdotibus ; quod tamen ante Templum erectum non observabatur.

6. Fructus quarti anni etiam Decimis his secundis annumerabantur.

7. Pauperibus etiam nonnullæ Decimæ dabantur, quæ Pauperum dictæ sunt, æquè a Judæis, quam a Levitis præstandæ.

8. Datis Decimis confessio recitanda fuit, præscripta Deut. 26. 13. 14. 15. quam Judæi aliquando abrogâsse leguntur.

9. Decimæ significant : 1. Summum DEI in terram Dominum. 2. In Terram Sanctam præcisè 3. exhibent Curam DEI, quam habet in suos Ministros omni tempore, ut potestate suam portionem eos esse. 4. CHRISTUM depingunt nobilissimum omnis Creaturæ, & per quem plena libertas, omnibus & totò mundo utendi, data est, &c. CAP.

APHORISMI PARTIS TERTIÆ.
CAPUT VIII.

DE VOTIS.

Quarto Oblationis sacræ Pars VOTA sunt, נְדִיר dicta, quæ vox *Vota* in genere significat.

2. Distribuebantur Vota in *Prohibitionis* & *Consecrationis*. Illa sunt, cùm quis sibi interdixit ab aliqua re, cibo, potu, &c. *Hæc*, cùm quis vovit, aliqua se daturum vel facturum; & dicunt alias *Sanctitatis*. Estquæ duplex:

1. Altaris. 2. *Reparationis Templi*; quod iterum duplex: Personarum & Rerum.

3. His Pharisei superstitione addebant Votum Temerarium, quod DEO non placere CHRISTUS probat Matth. 5.

4. Cùm autem Persona offerri debuit votō, ea redimi pretiō debuit, & in Gazophylacium pecunia deferari, animal mundum sacrificari, immundum vendi; sic ager, vinea, domus; in Anno Jubilæo verò remitti, pecunia in Templum deferri, pretiosiora verò ibidem suspensi.

5. Per נְדִיר hostes infensos, sed nullum Israëlitam vovere licuit.

6. Hinc patet Votum Pauli Act. 18, quale fuerit, hoc est, Votum *Prohibitionis*, non verò *Nazireatus*.

7. Etiam intelligitur, quale Votum Jephœ fuerit Jud. II. hoc est, quod filiam suam non occiderit, quod inauditum, DEO ingratum, & non ex fide prosectorum, contra Hebr. II, fuisset.

8. Eleganter etiam in his cernere licet CHRISTUM, Votum in æterno Pacis consilio factum de Redemptione generis humani constanter perficiendum.

CAPUT IX.
DE JEJUNIIS.

Post oblationes sacras sunt RITUS sacri. Liqué vel *Sanctiores* vel minus *Sancti*. *Sanctorum* prima sunt JEJUNIA, quod *Afflictionis* vocabulō *Hebrei* exprimunt. Græci *Nassian* vocant; quæ latius & strictius pater.

2. Erant autem Jejunia 1. *Publica*, quæ a Synedrio Magno indicta sunt. 2. *Privata*; Eaque, vel ex *Lege DEI*, vel hominum *Traditionibus*.

3. *Publica* Jejunia quando erant; tunc Arca e Synagogis educebatur, tubæ clangebant, cineres Arce insperfi sunt, oratio ad populum solennis, preces omnes recitatae sunt

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 35

tae sunt manibus complicatis. In *Privatis* Jejuniis verò cilicium & saccus induebatur, vestes scissæ, capilli soluti sunt, cineres capiti inspersi, accessit fletus, ejulatus, faciei deturatio, & serò admodum lentium commestio.

4. Omnibus autem jejunandum erat, in quo superstitionis valde suêre *Pharisei*, modum excedentes *Eessei*; Pueri tamen, ægroti & mulieres excepti sunt Jejuniis, præter diem nonum *Ab*, quô luctus publicus, ob utriusque Templi excidium, habebatur.

5. Sabbathis jejunare planè non licuit, nec diebus festis, præter decimum *Tishri*, hoc est, *Diem Expiationis*; jejunatum est ergo aliis diebus, quos Latini *Religiosos* vocarent, & quidem a manè ad vesperam, id est, usqué quo tres stellæ viderentur; extra ordinem & nocte erant Jejunia, quale & illud *Esth.* 4. In Jejunio trium hebdomadum *Dan.* 10. 2. noctu edere licuit.

6. Habebant & habent Judæi viginti octo per annum totum Jejunia, per singulos menses, quæ observabant ob res multas memorabiles, ita tamen ut in eundem diem & plura sœpè incidenterent. Vide *Append. III.*

7. Significabant Jejunia *Infelicitatem Veteris Testamenti*; ut & quies significabat *Vanitatem operum* sub illo Testamento: statum tempus Jejunii exacti *Finem* definitum ejus *Fœderis*: prohibita Sabbathis Jejunia significabant *Lætitiam Temporum Novi Testamenti*, & præprimis *Felicitatem Regni Calorum*, &c,

CAPUT X.

DE LOTIONIBUS ET PURIFICATIONIBUS.

Jejuniis subjunguntur LOTIONES & PURIFICATIONES sive *Bαπτίσματα*, Hebreis veteribus familiarissimæ; quæ diversis circumstantiæ factas *Losiones*, quarum usus quotidianus erat, significant.

2. Dividi autem possunt in *Lotiones Hominum & Rerum*: *Illæ* in Lotionem 1. Corporis, 2. Manuum, 3. Aspersionem:

3. Totò corpore lavabantur homines in variis casibus, id est, immundicie majori laborantes, quæ undecim erant, &c.

4. Proselyti etiam *Inquitini* hòc modò toti lavabantur.

5. *Manuum* *Lotio* sequioribus temporibus in superstitionem ducta est, curantibus eam acriter *Phariseis*; sub

G

quæ

qua aliquando & *Pedum Lotio* intelligitur ; non tamen ea , quā CHRISTUS discipulorum pedes lavit , huc spectat.

6. Aspersio guttatum quasi peragebatur , unde *P' àrris-μον* vocatur ; ritus tamen hic minus frequens erat.

7. Præter Homines *Res* etiam sive *Vasa* lavabantur ; quorum octo enumerant species Judæi . 1. Veste. 2. Cilicia. 3. Instrumenta ossia. 4. Ligneæ. 5. Vitrea. 6. Cornea. 7. Lapidea. 8. Metallica.

8. Lotionum Materia erat . 1. Aqua , eaque fontana , fluviatilis vel pluvialis ; aliquando & aqua marina ; in aliquis casibus , adhibitis aquæ cineribus. 2. Sanguis , qui ratiū siebat.

9. Fiebant autem Lotiones ob immunditiem toties contrahibilem ; hinc tot cisternæ & lavacra , ut *Job*. 2. *Job*. 5. Bethesda , quæ in quinque partes fuit distributa , & ob sanctitatem quandam celebrata.

10. Lavabantur autem Sacerdotes , Israëlitæ , & Proselytæ utriusque sexus ; & quidem omni tempore licuit , ne Sabbathis exceptis , in Festis antequam decimas secundas erderent corpus lavare debebant.

11. Tot Lotiones significabant Immunditiam illius Aëris , perpetuamque *Corruptionis* & peccati agnitionem ; & toties facta repetitio significabat aliud genus lavaci esse expectandum , non valentibus illis aquis eluere peccati maculam.

CAPUT XI.

DE ACTIONIBUS ALIIS SACRIORIBUS: PRECIBUS , CANTU , ELEEMOSINA , JURAMENTO , EXCOMMUNICA- TIONE ET CIRCUMCISIONE.

PRECES , quarum Judaicæ Genti notissimus usus , actiones maximè sanctæ , multæ quidem erant , postea ad octodecim revocatae , quas suminâ pietate recitare debebant ; cum in Templo , ubi tempus Precum quotidie triplex erat , tum in Synagogis , & in Privatis ædibus ad communionem semper , ante omnia negotia manœ , in itinere , juxta locum aliquando miraculè insignem , &c.

2. CANTUS non quidem frequenter precibus adjungebatur ; sed in signum gaudii usus ejus erat . Cantiones ergò sive Hymni , ut preces , a qualibet confici poterant , quare innumera Cantionum multitudo in Ecclesia Judaica , quas

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 35

quas tandem Ezras cum Synagoga magna , ad paucos qui supersunt *Psalmos*, contraxit , reliquis relictis ; in Templo quidem adhibitis Instrumentis Cantus erat ; qui in suas Pausas etiam distinctus fuerat , *Psalmis Davidis & Mosis* præ aliis æstimatis . Diversi autem quotidie Psalmi per hebdomadam in Templo canebantur ; Ratio tamen metri Psalmorum ignoratur .

3. ELEEMOSYNAM Justitiam vocabant , in qua erant multum liberales , dantes ordinariam & extraordinariam pro pauperibus Iudaicis , & pro pauperibus Mundi , & quidem largè ; cujus abusum ultimis temporibus introductum Servator taxat *Matth. 6.*

4. JURAMENTUM quadruplex erat : *Panum* seu levitatis , *Temerarium* , *Promissorium* & *Judiciale* , quod fuit in nomine יְהוָה propriè dictum Juramentum , coram testibus & Magistratu , cum multis ceremoniis recitatum ; erant si quidem Iudei , ut & omnes Orientales Juramentorum prodigi ; ergo per suum caput , Urbem Hierosolymam & alia leviter ac protervè jurabant .

5. EXCOMMUNICATIO Judaicæ Ecclesiae familia-
tissimus ritus triplex fuit : 1. *Levior* , & erat separatio a Cœtu sacro , ob minores causas , quæ viginti quatuor erant . 2. *Gravior* , ab hominum confortio facta exclusio , ut nec *Salve aut Ave iis* diceretur , a discendo & docendo prohiberentur ; ex qua tamen post gravem pœnitentiam recepti sunt . Sed 3. *Gravissima* fuit *Schemata* dicta , ex qua non dabatur regressus , sed satanæ datus est . Quæ triplex Excommunicatio triplicem Judaicæ Gentis ejec-
tionem notat : 1. Ex Terra in Babylонem . 2. A doctrina tem-
pore CHRISTI . 3. Plenariam hodiè post tempora CHRI-
STI .

6. CIRCUMCISIO Sacramentum Veteris Testamen-
ti & signum Federis DEI cum Judeis erat , que ad masculos tantum pertinebat ; non , ut Arabes & alii Gentiles , etiam ad foeminas extendebant . Debuit autem fieri die octavo ætatis , a quolibet homine ejus artis perito , praeter Ethnicum , coram testibus ; & tunc nomes infantis impositum est ; adhibitis etiam Epulis . Significabat autem *Dolorosam* Veteris Testamenti *Oeconomiam* & pudendam *Hominum corruptionem* , eamqué Generatione naturali propa-
gandam : Abscessio partis alicujus notabat CHRISTUM , qui filius hominis factus est , ut dolorosum jugum toleret . Datum est Fœdus Abrahamo , quod Posteritas ejus carnalis adhuc obseruat .

CAPUT XII.

DE ACTIONIBUS ALIIS MINUS SANCTIS: MATRIMONIO, SEPULTURA, NUMIS, MENSURIS, CIBIS, VESTITU, SOLUTIONE SEMISICLI, ET RITU CONFOEDERATIONIS.

MATRIMONIUM cum sequentibus septem minus facer Ritus erat; Typus tamen insignis *Coniunctio-nis CHRISTI* cum Ecclesia. Variae autem in Matrimonio erant solennitates, v. g. Desponsatio, Epulæ Nuptiales per septem dies; Virginum die quartō, Viduarum die quintō, sic Amicorum præsentia; novæ vestes, dos, benedictio, &c. Polygamia pessimō ausu est introducta. Ita & *Divorciō* turpiter abutebantur, datō Libellō repudii; quod licet Moses iussit; non tamen, CHRISTO docente, approbat. *Ius Leviticus*, insigni in rebus civilibus usū apud eos, etiam locum habuit.

2. SEPULTURA circa mortuos erat, quos ante mortem adire homines maximè sapientes debebant, eos consolari, preces, sacræ Scripturæ pericopas, Psalmos precipue ipsis morituris prælegere; in emissione ultimi Spiritus proximi vestes lacerare. Mortuum ægrotum lavabant, veste albâ talari inducebant, eā fasciis octo corpori fortiter altigatā; nec differebatur diu sepultura; sed eodem aut alterō die mortuus efferebatur cum tubis aut tibiis; & non loculo, sed sepulchro extra urbes locato imponebatur; additō Epitaphiō & Epulis parentalibus: Luctus tandem fiebat, alis tringita, aliis septem diebus, nec in vestitu nigro; nec cadavera cremabantur, nisi unguentā & aromata, cùm homines majoris fortunæ morerentur.

3. NUMORUM usus Judæis Veteribus ignotus fuit, ad tempora Maccabæorum, & ubique in sacra Scriptura Veteris Testamenti, pecunia significat argentum aut aurum non signatum, quibus metallis loco numorum utebantur. Erant autem nomina haec: *Siclus*, isquē *Sater* & *Profanus*; *ille dimidium hic quadrantem Taleri faciebat*. *Gira* five *Chefita* & *Agora* vigesima Sicli pars. *Adarcon* aureus erat numus. *Mina* sunt quinquaginta Sieli. *Talentum* five *Ciccar* auri & argenti summa, duplex quidem utrinque; *Sacrum* & *Profanum*. In Novo Testamento: *Drachma* Sicli sacri pars quarta; *Didrachma* dimidia; *Stater* & *Argenteus* Siclium faciebant. *Obolus* vero vel *Ainsley* octava Assis pars.

4. MEN-

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 37

4. MENSURÆ erant triplices: 1. *Intervallorum*, ut palmus, digitus, pes, funiculus, &c. Milliare a nostris differebat: Iter Sabbathi mille passus erant: 2. *Liquidorum*, quorum quatuor species. 3. *Aridorum*, quorum sex erant; in quibus cum nostris conciliandis multum Eruditæ labo-rant, vix tamen melius quam per ova ad nostras men-suras revocari possunt.

5. CIBORUM etiam singulares ritus Judæi habebant: 1. Non enim licuit animalia qualibet & pisces ac reptilia edere: 2. Non signanter porcos ob lepram, ut ipsi credunt, & immunditiem, quam omnes ferè animantes superare opinantur. 3. Non Sanguinem, quod sit anima animalis & crudelitatis nimiae signum. 4. Non suffocatum, quod cadaver & immundum sit. Ante Diluvium Iesus carnium fuit licitus, quod vel sola sacrificia probabant.

6. De VESTITU quoque leges erant & ritus peculiares, v. g. Interdixit DEUS de vestibus ex lino & lana factis, vestibus muliebribus, &c. Nec nimis ornatas gerabant vestes; eæ erant duplices, ferè talares, laxæ; pilei ferè pyramidales, braccæ; sed calcei saepe aberant, ut Sacerdotibus & pauperibus, &c.

7 Ritus etiam perpetuus erat SEMISICLI vel duarum Drachmarum SOLUTIO, quem omnis dare tenebatur, æquè dives quam pauper; a Samaritanis tamen Semisiclos non accipiebant. Post eversum autem Templum a Tito & Romanis, Judæi jussi sunt Semisiclos hos deferre Romam & dare in Templum Jovis Capitolini. Tributum autem hoc DEO datum existimabatur, & ad Templi structuram aut alios usus sacros convertebatur.

8. CONFOEDERATIONIS Ritus etiam memoriâ dignus est, qui non ita ut apud Gentes: *Affyrios*, *Persas*, *Romanos* vel *Græcos* siebat; sed per vituli in duas partes exactè æquales discissionem; quas Personæ confederantes transire debebant. Hic autem ritus significabat Federis violatorem ita discindi debere; ob idque Federis & Juramenti summam esse autoritatem.

C A P U T XIII.

DE RELIGIONE PRIVATA HEBRÆORUM.

PRIVATA Hebræorum RELIGIO in Pietate, Virtutibus & Sapientia consistebat.

2. PIETAS elucet ex familiari DEI notitia 2. Ei superstructa observantia atque reverentia. 3. Quod omnes Patres

Patres familias in suis domibus sunt estimati ut Sacerdotes & Prophetæ. 4. Quod omni Patri incubuit liberorum institutio per conscientiam. 5. Ex Precum Cantuumque multitudine. 6. Sacrificiorum ingenti mole.

3. VIRTUTES quoque hominum hujus Gentis & Ecclesiæ erant, 1. quidem: *Justitia*, ubi non erat usus summi juris, prohibita usura legibus divinis: se mutuo vocabant fratres, obvios sibi honorantes, salutantes, saepe & osculis: pauperes esurire non permittebantur: bona oppignorata in Jubilæo remittebantur, &c. 2. *Prudentiam* Salomonis Proverbia commendant. 3. *Temperantia* enitet ex iis, quod prandiis ut plurimum abstinebant, vinum aquâ miscebant, pocula quatuor erant in conviviis, convivæ non ita multi; nihil edebant nisi & pauperes participarent, &c. 4. *Fortitudinem* probant, eorum in Terram, Gentem & Religionem olim & hodie Zelus ingens, in contumaciam jam jam degenerans.

4. SAPIENTIA peculiares Prærogativas habet, v. g. Quod Literaturæ, Eruditionis, Legislationis origo ab illis esset, non ut apud alias Gentes, quæ ab his acceperunt, veram Mundi Originem haberent & scirent, DEUS naturalem Sapientiam supernaturali & revelatâ cumularet, quod ab olim ibi essent Scholæ multæ & Doctores, non ut apud Gentes, Scholas nonnisi circa tempora Cyri erigentes.

5. Excellebant Judæi & VULGARIBUS ARTIBUS, ut: *Agriculturâ*, *Pecuariâ*, *Mechanicis*, *Architectonia*, præterea *Bellicis Artibus*; ut aliæ Gentes hanc honorarent & mirarentur Gentem.

6. Sed præter has, SUBTILIORES Judæorum ARTES erant: 1. *Eloquentia*, quam contextus Librorum sacrorum: Mosis, Davidis, Salomonisque, & aliorum Scripta ostendunt. 2. *Poësia*, cuius metrorum rationem huc usque ignoramus. 3. *Musica*, cuius usus in Templo & ubiquè apud Judæos. 4. *Politica*, per quam fuit pulcherrima Reipublicæ hujus facies; Theocratica & ferè Monarchica postea, & Aristocratica aliquando. 5. *Juris prudentia*, unde Leges Mosis sunt origo Legum Lycurgi, Solonis, unde Leges XII. Tabularum. 6. *Philosophia*, ubi erat: α. *Physica*, in qua sapientissimus Salomon, ita Pater ejus David versatissimi. β. *Metaphysica*, sive de Mentibus DEOqué scientia. γ. *Ethica*, quam amabant valde Judæi cum populis vicinis, quod faciebant Gnomæ Salomonis. 7. *Mathematica*, cuius Abrahamus, Tribus Issachar, Salomon perquam periti. 8. *Medicina*, cuius etiam Salomon peritis simus;

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 39

simus; hinc Terra referta herbis optimis, oleis, unguentis; & debuit esse inter munda & immunda, sana & ægra animalia, &c. distinctio. 9. *Anatomia*, quam scire debebant optimè Levitæ & Sacerdotes. 10. *Theologia autem omnia* hæc superabat, non tam *Naturalis*, quam *Revelata*; quam DEUS huic Genti soli dedit Rom. 3. 1. exclusis a tanta gratia per multa tempora omnibus Gentibus ac Populis.

C A P U T X I V.

DE IDOLOLATRIA HEBRÆORUM.

Sæpe neglecto aut contempto verò DEI cultu, Hebrei ruerunt ad IDOLOLATRIAM, quod sub Templo primo multis vicibus; sub secundo autem nunquam contigit.

2. Adoptaverunt autem sibi colere Idola vicinarum Gentium; unde una cum aliis perversis ratiocinationibus, præter verum DEI cultum Idololatriam etiam adoptarunt; cuius initium non est ante, sed post Diluvium centum ferè annis inter Chami Posteros quærendum. Primus autem Idoli fabricator vulgo *Ninus Rex* perhibetur.

3. Gentes diversæ solebant diversa Idola & Deorum multitudinem colere, v. g. Angelos, Dæmones, Reges, Heroës, corpora cœlestia, virtutes, animalia, plantas & omnia; Gentes præprimis leviores, ut *Ægyptii* & *Indi*.

4. Hebrei quidem ab octo Gentibus Vicinis sibi Idola colenda sumserunt; quorum mentio est passim per sacram Scripturam.

5. Primò quidem ab AMMONITIS, quorum Idolum erat *Moloch*, non *Saturnus*, sed *Mars*; quod in valle *Hinnom* asservabatur, oblatis ei infantibus & exustis, ob victoriarum ab eo sperandarum opinionem.

6. Secundò ab ASSYRIIS sive CHUTTÆIS, qui in Samariam ducti a Salmanassare, Idola Orientis secum adduxerunt 2. Reg. 17. qualia erant: *Aschima*, *Adramstech*, *Anammelech*, *Nergal*, *Nisroch*, *Nibchaz*, *Tartak*, ut & *Succoth-Benoth*; in quibus explicandis vix convenit inter Eruditos.

7. Tertiò ab ÆGYPTIIS, ut *Cinos* Idolum, id est *Saturnum*; *Tammuz*, id est, *Osirim*; *Teraphim*, id est, *Deos Domesticos*, *Averruncos*; *Apim*, qui est bos vel vitulus aureus ab Arone in Deserto & postea a Jeroboamo excitatus; *Baalzephum*, quod & urbis nomen est.

8. Quarto a MOABITIS ad ortum proximis accesserunt
C4

40 APHORISMI PARTIS TERTIÆ.

perunt *Baal* - *Peor* Idolum; quod sicut turpissimum *Priapus* scortationibus cultus; *Cenrosch*, quod Idolum & Arabe coluerunt.

9. *Quintò* a SYDONIIS vicinis ad Septentrionem haberunt *Astaroth* seu *Veneris* Idolum; sub quo nomine & alios Deos cultos Veteres tradunt, ita ut Dii Sydoniorum Dii falsi sæpe vocentur.

10. *Sextò* a PHILISTHÆIS, qui ad Occidentem juxta Mare magnum habitabant, adoptarunt *Belzebul*, i. e. *Deum Muscarum*; ipsum quidem Diabolum, qui graphicè in Novo Testamento *Belzebul*, id est, *Deus fierorum* vocatur; *Dagon*, quod a pīcīs figura nomen habet.

11. *Septimo* PERSARUM etiam Deos colebant, *Solem* quidem & *Særūm Ignam*, Achazi præcipue tempore; cuius Statua unō oculō instructa, ubique jubente hoc Rege, erecta sunt.

12. *Ottavò* SYRORUM idolum peculiare erat *Gad*, quod male *Jovis Stella* a multis putatur, cum fuerit *Fortuna Dea*. Passim tamen Idola Gentium vicinarum, Syrorum dii appellantur, i. e. Aramæi.

13. Præter hæc Idola, erant etiam *Divinationes* seu *Incantationes*, *Haruspicia*, *Vaticinia*, *Pythones*, &c. Quas impuritates omnes gravissimis Legibus DEUS suo Populo prohibuit.

14. Tot autem *Divinationum* modos, oraculaquæ nata esse ex multiplici *Apparitione* ac *Revelatione* DEI ad Israëlitas facta, recte judicant Eruditi.

CAPUT XV.

DE LITERATURA HEBRÆORUM.

LITERÆ Hebraicæ sunt omnium primæ ac antiquissimæ; Lingua eorum quoqué omnium aliarum mater est, quæ naturalis & unde alia originem habent.

2. Scribendi modum a dextra ad sinistram pro naturali & optimo habent. Literæ hodiernæ sunt veræ & antiquissimæ Chaldaicæ & Hebraicæ. Samaritanæ sunt ex his ortæ, ut & quibus Rabbini utuntur.

3. Puncta non sunt Consonis coæva; sed post natum CHRISTUM, ad facilitandam Lectionem Hebræam, excoigitata. Apices, ad quos Matth. 5. CHRISTUS respicit, supra quasdam literas jam olim erant.

4. In Scriptura sacra non omnes Literæ uniformes sunt; sed aliquæ Majusculæ & quidem in uno & triginta Locis. Minusculæ in Locis triginta tribus. Præterea Suspensæ quatuor, Inverse novem, Irregulariter verò scriptæ tres existant,

5. Scrip-

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 41

5. Scriptura tota ferè Veteris Testamenti scripta est Hebraicè, quibus λόγια τε ΘΕΟΥ Rom. 3. 2. data dicuntur, aliqua pars Ezrae, Danielis & Jeremie Chaldaicè; tandem tota versa est in Linguam Chaldaicam, quæ Targumim seu Paraphrases appellantur, ante quas jam fuit decantata Versio LXX. Interpretum, in Ægypto (ut tradunt) procurante Rege Ptolomæo Philadelpho.

6. Sunt autem post tempus CHRISTI nati a Judæis omnes voces, literæ, syllabæqué Codicis sacri connumeratae; Phrases item Sententiaequé ac Accentus. Quod opus satis laudandum Masora vocatur, & distinguendum est a laboribus Ezrae, vel Scribarum post ejus ætatem, quos præstiterunt circa Scripturam sacram.

7. Hoc opus factum, ut Scriptura integra sit, & nihil plañe de ea perire potuerit, & eam Judæi pro Christianis fidelissime conservaverint; nec ante ea tempora quicquam e Scriptura perditum fuit.

8. Præter Scripturam habent Legem Oralem, quæ est Mischna & Cabbala. Mischna prima Talmudis pars, cui accedit altera Gemara; & Editio ejus duplex: Hierosolymitana vel Babylonica. Cabbalæ autem tredecim sunt species; quæ omnis Lex Oralis tota ferè vana est, nec necessaria; suos interim usus habere est etiam in confessio. Vide aliqua pro hac Thesi in Append. IV. & VII.

9. Post Scripturam & Legem Oralem sunt varia Scripta Judaica, quæ Peruschim sive Commentaria Rabbinorum vocantur; quorum aliqua incertæ originis & nominis, aliqua certioris & ferè post annum CHRISTI millesimum conscripta; partim Scripturarria, alia Philosophica, Grammatica, Mathematica, Poetica, Historica, &c. quorum omnium usus non contemnendus; præsertim in Scripturæ sacrae Exlicatione Literali & Historica, ut sunt Scripta Rabbinorum præcipue horum: David Kimchi, Aben Ezra, & Salomonis Jarchi.

CAPUT XVI.

DE RELIGIONE HODIERNA HEBRAeorum.

Inter res Judæorum Sacras locum ultimum habere potest Cognitio HODIERNÆ eorum RELIGIONIS, cuius duæ partes esse possunt: Doctrinalium scilicet & Ritualium.

2. Quoad DOCTRINALIA eorum Theologia Tredecim Capitibus constat. Quorum 1. agit: De Principio Fidei, quod duplex: Scriptura Sacra & Lex Oralis; hæc illi præ testimata. 2. De DEO quem unum credunt, 3. De Trinitate,

quam planè negant; nullam esse posse in DEO compositionem urgentes. 4. Le *Decretis*, quæ dicunt esse æterna & conditionata. 5. De *Creatione*, quam DEO tribuunt, negant tamen esse momentaneam; & animas hominum creatas in *Creatione*, & quod alter etiam Mundus jam ante hunc fuerit opinantur. 6. De *Providentia*, quam DEO attribuunt, Angelos tamen ei subordinantes. 7. De *Angelis*, quos in variis Classes digerunt, & pessimè ut subtilia corpuscula esse credunt. 8. De *Homine*, quem dicunt jam ante Adamum fuisse. Mira verò de DEI imagine, *Creatione* hominis, lapsu, &c. habent commenta. 9. De *Preceptis Legis Mosaicae*, quæ pro unico medio habent acquirendæ salutis. 10. De *Ecclesia*, quam suam veram ac unam esse credunt. 11. De *Sacramentis*, quæ antiqua duo observant, Sacramenta Novi Testamenti planè rejectis. 12. De *Messia*, quem avidè expectant; duplē quidem: *Priorem Misericordiem*, *Posteriorem summè Gloriosum*, circa quem habent plaustra nugarum. 13. De *Novissimis*, credunt Resurrectionem, aliqui tamen negant impiorum; Vitam æternam sibi afferunt, aliis Gehenam; quam in *Æternam & Temporariam* dividunt.

3. Quoad RITUALIA, distribuuntur hodie omnes in *Rabbaniæ & Cœnos*; præterea habent ritus alios ex Scriptura sacra, alios ex Traditione Superiorum, multos ex superstitione & ignorantia; quos omnes ferè inter plurimos alios descripsit & in Compendium redegit *Buxtorfius in Synagoga Judaica*.

4. Unde patet erroneam & superstitionem esse valde eorum Religionem, quam tamen acriter defendunt & tanquam verissimam mordicus tenent.

5. Has autem habent Errorum suorum causas: 1. Est *Judicium DEI* in Gentem impiam ac ingratam ob male habitum Filium DEI, quod coguntur ipsi quoqué agnoscere. 2. *Præjudicia* varia circa Legem Mosaicam, quam fingunt impletu esse valde facilem. 3. Scripturæ sacræ detorsio multiplex ac sensus Literalis & Mystici mira ignorantia. 4. *Præjudicia* de Gente sua, gloriatio de ea ac *Prærogativæ*, quas supra modum jactant, antiquæ. 5. *Præjudicia* inepta circa suum Messiam. 6. Odia e contrâ adversus verum & jam datum Messiam DEI Filium. 7. Hodieñorum Christianorum vita, dissensiones Religionum, opinionumque diversitas.

6. Quibus septem Classibus Errorum, totidem Remedia adhiberi possunt & debent a Christiano. Contra *Primum Errorem* dicendum: *Judicium DEI* in ipsis esse justum ac legitimum, peccatum hoc eorum gravissimum supra omnia.

Contra

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 43

Contra Secundum: Legem Mosis esse homini naturali & peccatori impletu impossibilem. Contra Tertium: Scripturæ sacrae sensum esse excellentiorem, quam habet Litera; adeo quæ sub ea, ut & sub ritibus, festis ac ceremoniis Veteris Testamenti, mysteria latere. Contra Quartum: Prærogativas Gentis eorum nullas amplius esse; sed eas jam aliis datas esse. Contra Quintum: Nec sibi constare Judæos, quidnam circa Messiam credant? ut patet vel ex solo Majmonide. Contra Sextum: Ex Veteri Testamento posse demonstrari nostri MESSIÆ DEITATEM, Natales Tempus adventus, Patriam & omnia; inquit in *Talmude*, Ipsi, Matris ejus, discipulorum, &c. fit mentio. In Scriptoribus Ethnicis, Mahomede, multa ejus notitia. Contra Septimum: Dissensionem Christianorum non esse circa fundamenta Fidei, eorum vitam esse bonam, quod patet ex toleratione Judæorum, in eorum Fidem & Caput CHRISTUM tam pessimè affectorum, &c.

C A P U T XVII.

DE RE BELLICA HEBRÆOKVM.

BELLORUM variorum per Scripturam sacram est mentione; quam Arte excultissimam fuisse Judæorum Gentem verissimum est.

2. Præcepta DEI de Rebus Bellicis varia existant; præcipue autem Deut. 20. quæ omnia erant summè bona & sapientiae divinæ congrua.

3. Summus Militiæ Imperator toti Exercitui præterat, quales: Abner, Joab, &c. dignitate post Regem primus; cui subordinati Chilarchæ, Centuriones, Quinquagenarii & Decuriones, qui simul etiam Principatum Familiaæ gerebant. Chilades in Urbibus erant, & hi pro arbitrio Regum absoluto constituebantur.

4. Militia erat duplex: Sacra vel Vulgaris. Sacra cura Templi incubuit, cui Templi Præfectus præterat, unus ex Sacerdotum Principibus; quibus adjungebantur Lictores & Ministri Templi a Sacerdotibus dependentes.

5. Armis variis indui solebant, ut gladiò, hastâ, telô, fundâ, securi, lanceâ; præterea clypeô, galeâ, thorace, loricâ; aderant & signa militaria, tubæ, buccinæ; insuper in usu erat & cantus; vestitus ruber militaris erat.

6. Solent Judæi distinguere Bella in Præcepti & Potestatis. Illò devotæ omnes Gentes, ut Cananæi, Amalechitæ, exscindendæ necessariò erant; Hoc vero gerebat Rex aliquis ad gloriam aut Regni sui fines dilatandos.

7. Castra in forma quadrata erant, ut fere apud Romanos

manos, in quorum medio Tabernaculum supremi Ducis, ut in deserto DEI; ubi quam formam castra habebant, eam postea & in aliis castrametationibus observabant.

8. Pax semper hosti offerenda fuit, qui si eam accepit, Praecepta Noachica suscipere & Tributarius esse debuit; si pacem vero renuerit, bellum fieri debebat, viri occidendi, alii vivi retinendi praeter Amalechitas & Gentes Cananæas.

9. Cum prælium fuit, Sacerdos unctus belli causâ animare debuit Exercitum; Praefecti vero Militiae habitâ Oratione, meticulosos, neogamos, &c. remittere; qui tandem viis pontibusque faciendis ac annonæ subministrandæ operam suam Exercitu militanti collocabant.

10. Militum multa apud Judæos erant Privilegia; Occisus in acie eō loco ubi cecidit, sepeliendus erat; Viæ ab exercitu qualescumque sterni poterant, & castra ubique locari; ea tamen munda esse DEUS ipse jussit.

11. Acie factâ, validi Duces a tergo exercitus stabant; qui desertores & fugitivos clavis ferreis repellebant.

12. Peculiare apud Judæos erat, quod alienas Gentes stipendiò non conduixerint, nec illi aliorum stipendia meruerint, & foedus pepigerint non aliter, quam ut Gens devicta iis tributaria esset.

13. Cum urbs obsidebatur, arbores non exscindebantur, canales & rivi non prohibebantur. Urbes Gentium Sabbathò obsideri, sive autem defendi non poterant; obsidio præterea a tribus partibus urbis fieri solebat, ut a quarta parte fuga parari posset. Urbs perduellis exscindebatur, & ejus locus sale inspergebatur, quod emblem a sterilitatis.

14. Præda parta (si volebat) Regi ex parte cedebat, reliqua pars æqualiter inter milites dividenda erat; spolia tamen optima in Templo suspensi in more fuerat.

15. Erant autem Judæorum varia Bella, ut: Amalechiitica, Emortheorum, Moabitarum, Midianitarum, septem Populorum Cananeorum; deinde Moabitarum, Syrorum & variorum Populorum vicinorum; postea sequebantur Civilia; tandem Aegyptiaca, Assyriaca, Babylonica; post Captivitatem cum Samaritanis, Syris, Idumeis; ultima erant, quæ cum Romanis gerebant, qualia erant: Pompeji, Sofii, Titi, & post Urbem everlam, Adriani.

16. Solebant uti variis etiam stratagematibus; quorum mentio est sepe in Scriptura sacra.

CAPUT XVIII.

DE REBUS SEU ACTION. HEBRAICIS. 45
CAPUT XVIII.

DE DCXIII. PRÆCEPTIS HE-
BRÆORVM.

Judæi totum Pentateuchum in SEXCENTA & TREDECIM PRÆCEPTA ab olim dividunt, in quibus Politica & Civilia multa sunt, multa & Ceremonialia & nonnulla Moralia.

2. Sunt autem ea partim Affirmativa, quæ ducenta & quadraginta octo; partim Negativa, quæ trecenta & sexaginta quinque; quæ simul sunt sexcenta & tredecim. Quorum sexenta & undecim sunt ex Mose desumpta; duo verò a DEO dicta addunt, id est, duo prima Decalogi Præcepta; ob id quidem, quod in Decalogo sunt sexcentæ & tredecim literæ, & tot numeros vox Hebraica פָּרָת continet; trecenta & sexaginta quinque ob numerum dierum Anni; ducenta & quadraginta octo ob numerum membrorum hominis.

3. Nullum tamen certum est fundamentum, quare tot Præcepta statuant non plura vel pauciora.

4. Nec sunt Judei adstricti amplius ad ea omnia observanda, si quidem sint ex iis multa Ceremonialia, quæ de Sacrificiis, Levitis, &c. agunt; que destructo Templo non amplius sunt.

5. Est tamen innatus Judæis error, Opera quoquæ Supererogatoria iactare.

6. Observare posse præterea se putant, leges omnes Mosaicas; cum tamen Lex Psal. 14. dicatur observabilis non esse.

7. Civilia Praeceptorum horum alicujus sunt usus; Moralia omnes homines spectant; Ceremonialia ex aliis Capitibus plerumque innotescunt.

C A P U T X I X .

DE LEGIBUS ET RITIBUS PO-
LITICO - PROFANIS HEBRÆO-

RVM.

Praeter hos memoratos huc usqué Ritus Judaicos & Leges, sunt nonnulli adhuc RITUS POLITICO - PROFANI apud ipsos usitati, partem etiam facientes Antiquitatis Hebraicæ, quorum præcipui sunt sequentes.

2. Ritus CONVIVANDI, in quo multa singularia erant,

erant, ut accubitus in lectulis, benedictio & ministratio a Patresfamilias ; prandiorum parcior, coenartum uberior usus ; cuique sua portiones datæ, usus canendi, mensæ sœpè suspensa, eleemosynæ tempore cibi exhibitæ, &c.

3. ADULTERIUM in summum venit abusum, undè postra aquæ amarae etiam abrogandæ erant; præterea non mors poena hujus peccati erat, sed flagella & aliæ leviores. *Sanhedrin cap. 5.*

4. Circa HOMICIDIUM etiam Leges DEI sunt multum immutatae & extenuatae.

5. TESTIMONIA coram tribus Personis esse debebant; sed Testimonium Publicani, minorennes, mulieres, dubii sexus aut servi perhibere non poterant. Rei a testibus occidendi erant.

6. HONORE omnes Rex præcedebat; mox Pontifex, tandem Propheta erat, Ultimum officium curare cisternas & aquæ ductus.

7. SERVI vendi solebant vel se vendere, ob furtum quod reddere non valebant, triginta sicutis; sed *Anno septimo Sabbathicō* liberi erant, quod si nolebant auris ipsis perforabatur. Servorum abjectissimorum erat molere.

8. AGRICULTURA talis erat: Per agros viæ, alicubi arbores, angulus undique pauperibus relinquendus erat; heterogenea simul serenda non erant *Lev. 19. Mæses duas erant, una ad Pascha Hordei, alia ad Pentecosten Frumenti.* Terra alicubi centuplum proferebat, Annus septimus nihil.

9. Circa VINETA sœpes erant decem palmarum, laetus decem palmarum, türres ibidem erectæ decem cubitorum: simul ficus erant in Vinetis: Annis tribus nullus Vinetorum usus: fructus Anni quarti sacer erat.

10. UNCTIONES usitatae erant: in Epuis Magistrum, ob morbos, decus, honores, lasciviam.

11. OSCULORUM etiam usus frequentissimus, qui sextuplices: 1. Magnificentæ. 2. Amicitiae. 3. Valedictionis. 4. Propinquitatis. 5. Precum. 6. Stultitiae vel Lascivie.

12. VIÆ Publicæ quadraginta octo; Private quatuor; Regiae sedecim; ad *Ajyla* quæ ducebant triginta duos cubitos latae erant.

13. TRITURATIO frumenti erat per trahas; MOLENDINA verò manibus tractabantur, ut hodiè apud *Æthiopas.*

14. IMPOSITIO MANUUM ritus erat etiam usitatus.

15. MORBI Judæorum frequentiores erant: *Lepra, Gonorrhœa, Paralysis, Febris quartana.* Tempore CHRISTI verò *Obsidio a Diabolis, &c.*

PARS

PARS QUARTA.

DE TEMPORIBUS HEBRAICIS.

CAPUT I.

DE TEMPORIEBUS IN GENERE.

TEMPORA, quorum cognitio multam partem Antiquitatis facit, ac ad Scripturæ Sacrae intelligentiam plurimum confert, in multis species apud Hebreos distribui solent.

2. *Primò* sunt ANNI אָשָׁר, quorum quadruplex initium: a Nisan, Tisri, Elul, Schebeth. Duplex tamen famosior: Annus *Sacer* cuius a Nisan initium; *Civilis* cuius a Tisri. Annis autem erant Solares & Lunares; quare *Intercalationis* apud ipsos usus. Annos incipiunt hodiè a Mundo condito numerare, quod a sexto demum Seculo in usu est; & quidem a Mense Septembri; ut sic Anno currenti 1716. Die 16. Septembbris incipiat Annus *Judaicus* 5477.

3. *Secundò* CONVERSIONES TEMPORUM תְּקִוָּה dicitur, quæ quatuor sunt, id est, in duobus *Solsticiis* & duabus *Aequinoctiis*; quem ritum ex *Egypto* secum attulisse dicunt.

4. *Tertiò* sunt TEMPESTATES ANNI, quas non quatuor sed sex habent: *Sementis*, *Hyemis*, *Frigeris*, *Messis*, *Aestatis* & *Caloris*.

5. *Quarto* MENSES חַרְשֵׁי, quos ab Innovatione Lunæ ita vocant, & ii sunt duodecim ac aliquando tredecim, verùm aliqui eorum etiam plura nomina habentes; hoc ordine enumerati: Nisan, Iyar, Sivan, Tamuz, Ab, Elul, Tisri, Marchesvan, Castus, Tebeth, Adar; quibus solet aliquando addi Veadar; quæ nomina sunt partim Hebraica, alia Chaldaica, Arabica & *Egyptiaca*. Erant autem Menses partim *Cavi*, id est, viginti novem dierum; partim *Pleni*, id est, triginta dierum. Vide Append. III. Primus dies Tisri die 16. Septembbris Annō praesenti incepit.

6. *Quinto* SEPTIMANÆ Dies septem, quarum usus ob Creationis memoriam sunt diarii, imò & ex Annis constantes.

7. *Sextò* DIES יְמִין, qui a vespera incipiunt, & sunt duplices: *Naturales* & *Civiles*.

8. *Septimò* VIGILIÆ שְׁמֹרָה, quæ sunt quarta diei pars. Dies & Noctes pariter in Vigilias distribuebantur, quæ trium horarum Periodus usitatissima erat *Judeis*.

9. Octava

9. Octavæ HORÆ חמשה, quarum usus hominibus recentior, Judæis etiam diu fuit ignotus; erant autem Horæ Inæquales, æstate longiores, hyeme breviores; die semper ex duodecim horis constantes; in Ortu Solis Hora prima in Occasu Hora duodecima, Horæ etiam erant: Vulgaris vel Precum, quæ tres: Hora tertia, sexta & nona.

10. Nonò MINUTA מילקון, quæ Judæi in Horis 1080. numerant; & his etiam minora momenta, quæ 56843. dicunt, observant.

11. Erat autem in usu apud Judæos, ut omnia hæc tempora Synechdochicè sëpè usurparent, id est, Partes temporis aliquas aliquas pro toto tempore dicerent; quod in multis difficultatibus Scripturæ Sacrae intelligendis plurimum facit.

CAPUT II.

DE FESTIS SEU TEMPORIBUS SACRIS IN GENERE.

Tempora omnia erant Sacra vel Profana, SACRA, quorum ingens numerus; alias FESTA appellantur וָיְלָא quod Lætitiam notat; aliquando רגלוֹת טובַּת quæ duo posteriora non omnia Festa significant; ut nec vox Græca Εορταί.

2. Multi erant ritus ad Festa pertinentes: Ante Festum quidem fuit annunciatio Festa imminere: Viae & pontes parabantur, putei clausi aperiebantur: Vaccæ rufæ (si opus erat) comburebantur. Templi parietes dealbabantur: quindecim diebus ante Festa animalia decimabantur: Tubis aliquot ante Festa diebus clangebatur. In ipso Feste autem Sacrificia plurima offerebantur: ad tria Anniversaria omnis mas ascendere cogebatur: Epulæ multæ, Sacrificia triplicia a quolibet fieri debebant, lætitiae: omnis generis, homines occidendi pro tunc asservabantur, vestes singulares inducebantur, &c. Post peracta Festa Sepulcræ calce notabantur, epulæ domi erant, &c.

3. Significabant autem Festa Judaica Felicitatem Ecclesiæ Novi Testamenti, Gaudium Fidelium ac Fessitatem in ea, Ascensionem omnium Gentium ad eam, in ea Sanctorum Communionem ac Unionem Fidei & Doctrinae, &c.

CAPUT III.

DE TEMPORIBUS HEBRAICIS.

C A P U T III.

DE SABBATHO ET FESTO DIEI LUNÆ ET JOVIS.

Multa verò Judæorum Festa erant, quorum aliqua DEUM, aliqua Homines Authorem habent; Omnia autem in quatuor Classes distribui possunt; Quarum. 1. Continet Festa per Hebdomadas. 2. Per Menses. 3. Per Annū. 4. Per plures Annos recurrentia. Singula quomodo se habuerint, sequentibus breviter dicendum erit.

2. In Prima Classe duo Festa sunt, quæ per singulas Septimanas recurrente solebant.

3. Primum est SABBATHUM, omnium Festorum caput & sanctissimum. Vox Sabbathi varia in Scriptura sacra significat, v. g. Diem quemlibet Hebdomadae, quodlibet Festum, Annū septimum Sabbathicum dictum, Diem Expiationis qui decimo Tisri; sed præcipue Diem septimum Hebdomadae.

4. Sancti hujus Diei Origo duplex hodie statuitur. Multis placet arcessere a Creatione, sed alii a Monte Sinai faltem deducunt; negantes anteā hujus Diei, uti Ceremonialis, usum sussie; quare & Quartum Decalogi Præceptum negant esse totum Morale.

5. Variis ritibus autem solebat olim Dies hic sanctus, & solet hodie, a Judæis celebrari; qui videndi in Libro Schabbath. Præcipui eorum fuerunt hi: Ante Sabbathum quidem 1. Adsumptio ad Sabbathum per inflationem tubarum sex vicibus ex tecto Sabbathi. 2. Incensio Lucernarum; quæ vocantur Luces Sabbathice, & mulierum est officium. 3. Mensæ instruebantur viualibus ac ornamenti. 4. Clausæ officinæ. 5. Abstinētia à laboribus. 6. Aprefatio futuri Sabbathi.

6. In Sabbatho, 1. Triplex Convivium, in initio, medio & fine. 2. Vinum aquâ mixtum e poculo depotatum; 3. Sacrificia duplicita. 4. Veste novæ ac singulares induitæ. 5. Panes Propositionis & Ephemeriae renovatae. 6. Lectio Legis Mosaicae & postea etiam Prophetarum Sabbatho fieri solebat. 7. Nuptiarum usus hōc die. 8. Plus eō die orabant, legebant, longius dormiebant, ab omnibus laboribus abstinebant, cibis pridie præparatis, &c.

7. Prohibiti enim erant labores Sabbatho a DEO, quibus multa alia Judæi attexuerunt, & numerant triginta novem species laborum prohibitorum. Opera tamen necessitatis, honestatis, pietatis, charitatis excepta erant. Præterea Sacerdotes & Prophetæ non erant ad omnia illa obligati.

D

8. Ada

50 APHORISMI PARTIS QUARTÆ

8. Addebat Judæorum aliqui, per superstitionem, & Sabbathum Parvum seu Sabbathulum.

9. Iter Sabbathi, de quo mentio *Aet.* 1. erat iter mille passuum; quod emetiri & non amplius hōc die licuit.

10. Sabbathum Δευτεροπάτων, de quo *Luc.* 6. 1. erat non aliud, quam Sabbathum primum post diem secundam, id est, Διησπαρ Paschatis; cuius Dici solennis erat observatio apud Judæos.

11. Sabbathum, quod *Quietem* notat, significabat 1. *Genitum* *Judaicam* ex aliis DEI placitō *electam*. 2. *Quietem* *Oeconomiae* *Novi Testamenti* oppositam laboribus veteris Fœderis. 3. *Quietem* æternam *Regni Cœlorum* ac ibi plenissimum *gaudium*.

12. Secundum est Festum DIEI LUNÆ ac JOVIS; cuius Authorem Judæi Ezra in Babylone faciunt unā cum aliis rebus.

13. Observabant hos Dies. 1. Ne tres Dies præterirent sine Legi. 2. Quia credunt Mosen Die Lunæ pro Tabulis Legis ascensisse & Jovis descendisse de Monte.

14. Solebant in his a majoribus laboribus ut plurimū abstinerere, semel in die Synagogam intrare, orare; multi jejunare præsertim Pharisei; sed & alii Die Jovis maximè.

15. Causæ Jejuniorum autem erant his diebus. 1. Quod die Lunæ *Infernum creatum* credant, cuius benedictio nec est apud Mosen. 2. Quod die Jovis horrendum *Peccatum Vituli aurei* contigisse dicant.

CAPUT IV.

DE NOVILUNIIS ET FESTO COLLECTIONIS LIGNORUM.

QUolibet Mense NOVILUNII Festum, quod ab *Innovatione* *Luminis* Judæi vocabant, singulariter & ritore observabatur, DEO ita olim instituente.

2. Hoc Festum initio Mensis cuiuslibet erat, quod Romani *Calendas*, Græci *Neomēnian* dicerent, attendantibus certis hominibus ad Lunæ Innovationem in montibus; qui viā novâ Lunâ id *Synedrio* indicabant, ac mox ignibus per montes undique excitatis, Festum hoc celebrandum esse significabant.

3. Ritus hujus Festi erant: Clangor buccinarum, Sacrificia plura quam alias, apertio Portæ magnæ, epulæ, Prophetarum solennia ad populum verba, unius diei festivitas in Templo & Synagogis; hodierni autem Judæi ex Calendariis saltem Diem hunc inspiciunt, mox conspicuntur.

DE TEMPORIBUS HEBRAICIS.

51

spectâ Lunâ, ad ejus radios varia superstitiones agunt, Synagogas intrant, &c.

4. Insignis autem hic Dies Typus fuit Temporum Novi Anni, id est, *Novi Testamenti*, cuius adventus curiosè expectatus, per ignem accensum Evangelii totô orbe citissimè cognitus est; ac per buccinas Verbi DEI, id est, Apostolorum, verbum sanæ Doctrinæ annunciatum, &c.

5. Præter hoc, Festum COLLECTIONIS LIGNORUM erat, quod Συλοφόεις Josephus vocat, quod non quolibet Mense; sed novem vicibus per Annum recurrebat, hoc est: Die decimô *Nisan*; vigesimô *Tamuz*; quintô, septimô, decimô, decimô quintô & vigesimô *Ab*; vigesimô *Elul*; ac primô *Tebeth*; quibus diebus, ligna a certis Familiis cum magna solennitate ad usum Altaris afferebantur, totô populo quoque in festivitate constituto, quod Festum sub Templo Secundo institutum erat.

C A P U T V .

DE FESTO PASCHATIS ET AZY- MORUM.

Festa per Annum recurrentia multa erant, in דֶּנְגָּלִי Diem Expiationis ac Festa Minora a Judæis dividenda.

2. REGHALIM רְגַלִּים quatuor erant, in quibus quilibet Israëlite comparere Hierosolymis coram DOMINO debebat. Praesentia illa רְאֵת dicta fuit.

3. Duo priora ex his, id est, Paschatis & Azymorum Festum לַיְלָה הַמְצֻוֹת in idem tempus incidebant; quare sæpe haec Festa & confundi solent, & comparitiones coram DEO in Anno tantum ter esse solebant.

4. PASCHA פֶּסַח Transitum, memoriam transitus Angeli & Agnum hoc mactatum notat, qui Pascha & ejus caro corpus Paschatis dicebatur. AZYMORUM vero Festum Εὐρη λαλάζων a Panibus non fermentatis nomen habuit.

5. Pascha ergo incidit in diem decimum quartum *Nisan*; quôd, circa Vesperam mactabatur agnus, quem statim excepit Dies decimus quintus *Nisan*, qui erat Dies primus Azymorum, in quo comedendum Pascha fuit, ac sequentes dies sex omnes, usqué ad vigesimum primum *Nisan*, Azymorum dicti.

6. Ad solenne hoc Festum, summa curâ & solennitate, Judæi jam a Die primo *Nisan* se parabant, quôd nec jejunare ulli licuit: Paucis ante diebus Agnus ad Pascha eligi debuit, omne fermentum expurgari, domus & omnia

D 2

ejus

52 APHORISMI PARTIS QUARTÆ

eius vasā diligenter mundari, Azymi panes confici, &c.

7. *In ipso Fēsto multi ritus erant, v. g. Panum Azymorum commestio per septem dies cum herbis amaris ac embammate & quatuor poculis vini, manipuli Paschalis decimō sextō Nīsan solennis oblatio, Agni Paschalis commestio, cuius ritus Judæi sedecim numerant. Præterea Captivus unus in Pāschate dimittebatur, ritu non Romanō, sed Judaicō, jam ab Exitu ex Ægypto observatō; totō Festō continua Liberationis ejus annuntiatio fuit: Sacrificia DEO offerebantur: Epulæ primō & ultimō Die solennes, iidemque Dies præ aliis summè sacri, Mensæ stratae & ornatae omnibus his diebus in domibus erant, &c.*

8. *Et hodiē Festum hoc a reliquiis Judæorum observatur; nullus tamen est Agnus, destructō jam Templō, ita ut ne cogitare de Agno liceat; sed habent Epulum Paschale ex panibus Azymis, oleribus & herbis amaris ac embammate, adhibitis vini poculis: adsunt preces multæ, hymni: anathema contra Gentes evomunt, &c.*

9. *Quæstiones multæ circa Pascha ab Eruditis agitari solent, v. g. An cōdēm Die CHRISTUS Pascha cum Judæis celebraverit? An Pascha pellat Sabbathum? &c.*

10. *Festum hoc duplex, in memoriam Exiūs ex Ægypto hōc ipsō tempore factum Judæi observabant, qui Typus fuit Liberationis Ecclesiae ex Myſtico Ægypto Infernali ac atri Pharaonis Diaboli captivitate, per Ducem ac Statorem Salutis JESUM CHRISTUM, circa Annū Mundi 4000. Mundo datum, ac post aliquam in his terris moram, hōc ipsō Festō a Judæorum perfida Gente occisum; liberatā interim Ecclesiā, post multos in vitæ huius desertis errores, in æternam quietem deducendā, &c.*

CAPUT VI.

DE FESTO PENTECOSTES.

Post Pascha quinquaginta diebus PENTECOSTES Festum erat; quod ab iis *Quinquaginta diebus Πεντεκοστή* nomine Græcō insignitur; cum *השבועה הפסחן שבעת הפסחים* Hebrew *Septimanarum, נחצין פסטום Messis i. e. Triticeae, חנוכין הבכורי* Dies Primitiarum & *עצר* diceretur.

2. *Inter Rabbanitas & Caræos non æquè de tempore Pentecostes convenit, in quem scilicet diem incidere debat; terminus tamen, a quo dierum debuit esse, fuit decimus sextus Nīsan, id est, Dies oblationis manipuli, unde summā curâ numerati quadraginta novem dies faciunt septem Hebdomadas, ut sic quinquagesimus Pentecostes fuerit.*

3. Ce-

3. Celebratum hoc Festum uno die quoad sacra, aliis diebus in Epulis transactis; sine tamen laboribus. Oblati præterea duo *Panes*, qui *Pentecostales* dicti sunt, *Triticei*; post quorum oblationem *Messis Tritici*, ut a Paschate *Hore dei*, coepit; qui agitati DEO offerebantur: Sacrificia erant tredecim, quorum Ablegmina una cum Panibus agitata DEO cedebant: aderat & Legis hōc die olim in Monte Sinai exhibita annuntiatio, & narrationes ac homiliae de Legis præstantia, usu, &c. præter ritus, qui aut aliis Festis communes aut leviores erant.

4. Hodie duos dies celebrando huic Festo impendunt, jam tres dies ante Festum in domibus se continentes, & Legis jugem meditationem animo volentes: legitur & Liber Ruth hōc Festō; Synagogæ, ædes floribus, herbis, foliisqué adornantur; candidis cibis ex lacte coctis, quod Hieroglyphicum præstantiae & pulchritudinis Legis, adhibitum.

5. Hoc Festum in memoriam datae Legis a Judæis celebratum fuit; significabat tamen post Legem *Evangelii* dationem, ac *Spiritus Sancti* hōc Festō effusionem, Gentium vocationem, & cum iis *Judæorum* ad Ecclesiam collectionem, quod duo Panes notabant. Præterea præstantiam & perfectionem *Evangelii* præ Lege, temporis aestivi præ vernali, *Tritici* præ hordeo, *Panum* præ aristis & manipulo hordei. Erat hujus tempus fixum, notabatq̄ *καιρός* Tempus fixum statumque Initii Novi Testamenti.

CAPUT VII.

DE FESTO TABERNACULORUM.

Ultimum ex Regalim TABERNACULORUM Festum erat, quod *הַמִּזְבֵּחַ* Hebræi ob Tabernacula appellant; ob summam autem Letitiam *מִצְחָג* Græcō nomine *Συνοπτήσις* notissimum est; Philo *Εἰσῆλθε σκηνῶν* vocat, id est, *Tabernaculum* ob habitationem in iis.

2. Incidebat in decimum quintum *Tisri* diem, qui mensis plurima Festa habuit. Celebratur autem octo diebus; licet ultimum diem aliqui diversum Festum faciant.

3. Summè solenne hoc erat ob Tabernacula, in quibus habitabant; unde & Gentibus externis cognitum hoc Festum erat, & præsertim *Epocha* aliqua ab hoc tempore deducebatur, gaudium & lætitia summa erat, sacrificia plura, quam ullō aliō Festō, offerebantur.

4. Tabernacula ex frondibus umbrosis, ut myrtis, oli-

54 APHORISMI PARTIS QUARTÆ

va, salicibus, &c. constabant, intus ornata valde; Libamen Aquæ hōc die fuerat ex fonte Siloam; lætitia nocturna ingens fuit, accensis multis in Atrio Mulierum lucernis, & totō Populō lætante ac saltante, rami arborum ac pomæ citrea gestabantur, altari circumponebantur, altare circumibatur, hymni multi & plures quam aliæ cantabantur, pulsatis omnibus Musicis Instrumentis usque ad summam lætitiam; accessere Epulæ multæ, ita ut vix somno tempus esset; Rex quoquæ Legis aliquas pericopas legere debebat in Atrio Mulierum, erecto ibi suggeſtu.

5. Hodie etiam Judæi in Tabernaculis in hoc Festo habitant, Legis pericopas aliquot legunt, duos dies summe festos habent, reliquos non item; ramum citrinum cum foliis Synagogæ singulæ emunt, ultimō die in Tabernaculis epulantur, quæ hodie & conductitia habere licet, nec mulieres aut pueros planè cogunt ad inhabitationem; defunctō Sacerdotio Populo benedicunt.

6. Judæi hoc Festum observabant ob *habitationem in Deserto, Terræ Canaan felicitatem, & omnium proventuum terræ eō anno perceptionem*. Sed excellentius significat Tempora summe lœta Novi Testamenti: ultimō hōc gaudio Festum erat *ultimum tempus* denotans; habitatio in Tabernaculis statim peregrinum Fidelium in hac terra innuebat; Lætitia maxima triumphum & gaudium ob toties reportatam victoriā de hostiis Ecclesiæ, & usum tantorum donorum Spiritus Sancti innuit; Sacrificia plurima Perfectionem cultū divini, ejusque rationalis in Novo Testamento in tanta ubertate effundendi, docent; Primus & ultimus dies maximē solennes significant primam & ultimam Ecclesiæ Novi Testamenti etatem, illam propinquitate CHRISTI & Apostolorum; hanc victoriis Ecclesiæ de hostiis omnibus illustrissimam, &c.

CAPUT VIII.

DE FESTO DIEI EXPIATIONIS.

Altarum Festorum per Annum recurrentium *Classem ADIES EXPIATIONIS* constituit, quem Diem נַעֲמָן, נְחִזְרֵי יְהוָה Jejuniumque Magnum Judæi; Græci Νεσσαν; Latini *Diem Expiationis, Placationis*, vocant.

2. Incidebat Dies hic in decimum Tl̄vi diem; quo Expiatio omnium totius Populi peccatorum fuit per Pontificem Maximum semel quotannis peracta; quæ Solennitas in hunc Diem præcisè incidisse dicitur, ob reconciliationem DEI cum Populo Israëlitico post Idololatriam Vituli aurei.

3. Præ-

DE TEMPORIBUS HEBRAICIS.

55

3. Præparabant autem se Judei cum magno Jejunio & corporis afflictione ad hunc Diem; sed præprimis Pontifex *Maximus* aliquot ante diebus domo suâ segregatus est, ac ad functiones hujus Diei ritè præparatus.

4. Illi enim incumbebat hōcce Die *Sanctum Sanctorum* ingredi; cui sēpius cōrpus totum ablūtū & vestibū albī indutū; & quidem ingrediebatur quatuor vicibus: 1. Ad adolendum suffitum. 2. Ad offerendum sanguinem iuveni pro fe & sua domo. 3. Ad offerendum sanguinem hirci pro peccatis totius Populi. 4. Ad vasa efferenda.

5. Præterea ejus officium erat hōc die *Hircum Azazel* dictum dimittere; alterō, cui *Sors JEHOVÆ* obvenerat, occisō, & sanguine ejus ultra velum introductō; Sacrificia etiam per eum offerenda erant quindecim; Lex post peractū opus suū Populo perlegenda fuit.

6. Populus autem erat positus in Jejunio totus, precibus ac peccatorum confessione, afflictione corporis, procul omnibus deliciis, uncturā, epulis, in aliis Festis usitatis. Peractō tandem Festō die sequenti ad lætitiam redibant; sibi pro peccatis expiatīs, Pontifici pro peracto oneroso munere applaudentes.

7. Supersunt etiam ad hunc diem aliqua apud Judaeos hujus Diei vestigia; si quidem confessionem edunt suorum peccatorum, preces recitant plurimas, sunt tristes, excommunicatos permittunt secum orare, nonnisi ad vesperam Synagogas deserunt, locō Hirci gallos & gallinas offerunt, eleemosynas dividunt, sibi mutuō offendas remittunt, Sacerdotibus Primogenitorum redemptionem & alia munera offerunt.

8. Hicce Dies & hujus Solennitas, de quo est Liber Talmudicus *Joma* dictus, vel ipsis Socinianis fatentibus, CHRISTI Typus erat, atqué *Expiationis* totius Populi, i. e. Ecclesiæ peccatorum nobissima repræsentatio; qui solus onus hujus Diei pertulit, cuius extra castra occisi sanguis intra velum introductus est; indutus vestibū non aureis sed albī erat; quod emblema ejus humilitatis; parabat autem se aliquot diebus ad hoc opus, &c. Signanter duo Hirci Typi sunt CHRISTI; alter *mæstai*, alter vero *Peccata portantis* & in hoc Mundo vexati; Jejunium Populi notat *Vitam non carnalem Fidelium*, &c.

D 4 CAPUT IX.

CAPUT IX.

*DE FESTIS NOVI ANNI, TUBARUM
ET LÆTITIÆ LEGIS.*

Tertia Classis Festorum per Annum recurrentium MINORA FESTA complectitur; quorum notitia partim ex Scriptura sacra, partim extra eam in Libris Apocryphis, Josepho & alibi quærenda est.

2. Eorum Primum esse potest Festum NOVI ANNI תַּרְוָעַת טִבְרָה; quod cum Secundo, id est, Festo TUBARUM ut plurimum confundi solet; licet distinctum ab eo sit.

3. Dicitur autem תַּרְוָעַת טִבְרָה Initium Anni, alias Dies Tubarum, Clangoris, Jubilationis, Buccinarum, Σαλ-μίγγων Εἰσόρην, &c.

4. Incidebat in Diem Primum Tisri, qui primus Anni Civilis est, & Diem Secundum, qui propriè Festum TUBARUM. Cavebant autem Judæi, ne in primum, quarum & sextum Hebdomadæ Diem incideret.

5. Erat autem his Festis Conventus sacer, aderat clangor ingens tubarum & buccinarum primum Hierosolymis, postea in omnibus locis Terræ sanctæ; cuius rei causam multi esse dicunt Libertatem, quam Populus hic habuit præ aliis Populis; alii autem Legislationem; alii adhuc DEI in Judæos Imperium: Sacrificia sunt oblata viginti trias; Tempus erat hoc etiam dividendorum Officiorum Ecclesiasticorum.

6. Nunc etiam Judæi hæc Festa observant: corporibus incurvatis orant, sibi mutuò honoraria dant, buccinas ex cornibus arietinis inflant, &c.

7. Festa hæc duo Judæi aliqui ob memoriam Liberatoris Isaaci cogitant instituta fuisse; sed optimè meliores ad Tempora Messie referunt, quod etiam verum est; si quidem significant nova Tempora Novi Testamenti; quæ in tempus septimum, id est, post sex Mundi ætates a Mose præmonstratas, incident.

8. Terrium Festum LÆTITIÆ LEGIS est, Festum etiam MEMORIÆ LEGIS vocatum, cuius nulla in Scriptura sacramentio est. Celebratur die vigesimō tertio Tisri, quō tempore Judæi Mosen in Quinquaginta quatuor Parashas distributum legere incipiunt, additâ etiam Prophetarum lectione, summō honore affectâ Lege ab illis & Arca, in

qua

DE TEMPORIBUS HEBRAICIS.

57

qua Lex asservatur in Synagogis; exhibent signa magnæ
lætitiae etiam epulando, &c.

CAPUT X.

DE FESTIS PURIM ET ENCÆNIORUM.

Quartum Festum Minus PURIM פָּרִיר, quod vocabulum Persicum est, atqué Sortes projectas significat, ab Hamane scilicet Cubiculario Regis Ahasueri Gentem Judaicam perdere volente.

2. Est autem aliquot postea Annis Festum hoc institutum a Joachimo Pontifice aut ejus Vicario, ob memoriam liberatio[n]e Gentis a furore Hamanis, quare LÆTITIÆ JU-DÆORUM Festum etiam dicitur, ab aliis autem MAXIMUM etiam FESTUM

3. Incidit hoc in Diem decimum quartum & decimum quintum Adar: si quidem incrementum & decrementum Gentis hi dies sacri contineant.

4. Praeparant se ad hoc Festum Jejuniō, quod Esther dicitur; in Festo tamen edunt & pergræcantur plus quam aliō tempore, ob lætitiam hanc summam; Christianos exercantur, sic & Hamanem; Estheram, Mardochæum laudant; Libellum Esther perlegunt, atqué ad ejus auditionem omnes præsentare se se coguntur, adhibitis precibus pro salute Istraelis.

5. Quintum Festum ENCÆNIORUM est, 'Eynassius, cuius etiam nulla in Libris Scripturæ sacrae Canonicis mentione; si quidem non ita longè ante CHRISTI tempora Festum hoc institutum sit, in memoriam repurgati Templi per Antiochum Epiphanem profanati.

6. Incidit hoc in mensē Caslen, & per octo dies celebratur cum summa lætitia & lucernarum accensione. Convocantur Amici, cognati, pauperes; divites cum pauperibus epulantur, iisque officia humanitatis præstant; Struturam Templi & ejus ornamenta jugiter meditantur; perfectis illis Scripturæ sacrae Pericopis, quæ de his agunt. Adhibiti olim & Viri selecti, qui ad Templum & Synagogas Collectas facerent.

7. Duo hæc Festa insigniter notant Liberationem Ecclesiæ Novi Testamenti ab hostiis duplicitibus; iis quidem, qui

post Tempora Reformationis eam opprimere laborabant; Festum quidem Purim exhibet Lætitiam super casu Principum Persecutorum; Encæniorum vero, Gaudium ob repurgatam ab Antichristi fermento Ecclesiam,

CAPUT XI.

DE FESTIS ALIIS MINORIBUS.

Sextum Minus Festum celebratum a Judæis est in memoriam FILIAE JEPHTÆ *Judic.* II. per quatuor dies quotannis; quam immolatam a Patre multi credunt; satis est, quod memoria hujus casus notissima fuerit, & tanquam festi Dies quatuor illi habiti.

2. *Septimum Minus Festum* fuit Dies ille, quod ignis cœlestis, quem existinctum post Babylonicum Exilium repererunt, suscitatus est. Hunc Diem *Josephus* Festum LUMINUM vocavit, & Die vigesimō quintō *Casten* celebratum est.

3. *Octavum Festum* est *Dies*, quod VICTORIA de HOLOPHERNE, Regis Assyriæ Præfecto, per *Judith* Vi-duum, relata est; qui Dies, Decretō Judæorum, inter festos numeratus est *Judith.* 16. hoc Festum alii confundunt cum Festo *Encæniorum*.

4. *Nonum Festum* est, quod MARDOCHÆI dicitur 2. *Maccab.* Cap. ultimō; quod etiam distingui debet a Festo *Purim*, quod *Sortes* significat.

5. *Decimum Festum* erat *Honoratus* ille *Dies*, quod VI-CTORIA de NICANORE DEMETRIO, Regis Syriae Duce, reportata est; de quo *Josephus Libr.* 12. & quotannis hoc Festum Die decimō quartō *Adar* celebratum est.

6. *Undecimum* est Festum ARCIS MUNDATÆ a SIMONE Principe, Die vigesimō tertio *Iar* observatum.

7. *Duodecimum* est Festum ENCÆNIORUM TEMPLI SALOMONIS, Die vigesimō tertio Mensis *Tifri*.

8. *Decimum Tertium* est Festum ENCÆNIORUM TEMPLI ZOROBABELIS, Die vigesimō tertio mensis *Adar*.

9. *Ultimum* est Festum GODOLIAE, Die tertio *Tifri* observatum; licet hoc alii pro Jejunio haberent, qualia multa Judæi habebant; quorum tamen solenniora quatuor erant, quæ instar Festorum celebrata sunt.

10. Ultimorum horum Festorum nulla hodie aut valde parva apud Judæos memoria.

CAPUT XII.

CAPUT XII.

DE ANNO SABBATHICO ET JUBILÆO.

Ultimam Festorum vel Temporum Sacrorum Hebraicorum Partem faciunt ea, quæ per Plures Annos recurrabant, quæ duo sunt: Anni Sabbathici & Jubilæi, utriquæ a DEO instituti.

2. ANNUS SABBATHICUS שַׁבָּתָה, qui sæpè & Sabbathum, alias Sacer dictus, quilibet Annus Septimus erat; quem præcedens Sextus, Sabbathi Vespera, dictus est.

3. Anni hujus Initium erat non a mense Nisan, sed a Tisri, & quatuordecim post ingressum in Terram Sanctam Annis observari cœpit; sub Templo Primo quidem major, at sub Secundo minor fuit ejus veneratio.

4. Jura hujus Anni tria erant. 1. Quies Agrorum; non licuit quippe agros colere, sed vivebant ex fructibus Anni Sexti; præterquam quod pauperes proventus ex deciduis feminibus colligerent, & aliquando ob famem & tributa maxima, necessitas frangere Legem cogeret. 2. Servorum Dimissio, qui si abire nolebant, auris eorum perforanda fuit, & in Servum perpetuum adoptabantur. 3. Debitorum Remissio, non ad annos septem, sed ad Annum proximum Sabbathicum.

5. Non etiam licuit hōc Annō maria transire, longè valde peregrinari; Lex præterea Populo tota perlegi solebat; Primo & ultimō hujus Anni Die tubā clangebant.

6. Anni hujus Sabbathici nulla hodiē est obseruatio, ejectis jam Judæis pridem suis sedibus, ad quas propriè hoc Festum spectabat.

7. Causa hujus Anni instituti fuit. 1. Ne Terra perpetuā aratione sterileceret. 2. Ut Terræ hujus singularis bonitas ostenderetur. 3. Judæi ab avaritia avocarentur. 4. Ut de quiete aliquando DEUS ipsis prospiceret.

8. Sed & significavit Memoriam Creationis Mundi hujus, quem sex mille annos duraturum Judæi jam pridem cogitáreunt.

9. Porro Oeconomiam Novi Testamenti significavit: Quietem illam ab operibus Legis & Ceremoniarum Mosai carum: Felicitatem Temporum Novi Testamenti: Remissionem peccatorum: Libertatem per CHRISTUM assertam: Officium Mediatorium Servi JEHOVÆ JESU CHRISTI, & Felicitatem ac Quietem eternam Regni Cœlorum.

10. JUBILÆUS יְמִינָה Jobel vel Jobel dicitur, eb cornua

Cornua Arietis; ex quibus conflatis buccinis annunciatatur hujus Anni solennis præsentia.

11. Erat autem *Quinquagesimus* quilibet *Annus* seu post septem Annos Sabbathicos recurrens *Annus*; non autem *Annus* juxta aliquos *Quadragefimus nonus*; si quidem alia præcepta dat DEUS de Anno Sabbathico quam Jubilæo, & ille sæpe Sabbathum, hic vero nunquam appellatur.

12. Jura hujus erant. 1. *Servorum Dimissio* plenaria & totalis cum honore & laetitia ac aliquot dierum epulis. 2. *Quies Agrorum* major & solennior, quam in Annis Sabbathicis. 3. *Lex Agraria*, id est, *Agrorum ac Vinetorum oppignoratorum restitutio* Familia fine ullo prelio.

13. Rex hoc Annō vivens Terram totam circumire debat; Vestibus pretiosis homines induitos esse necesse fuit; Clangor aderat etiam ex cornibus arietinis ad initium Anni hujus Jubilæi.

14. Ab Ingressu in Terram Sanctam ad Exilium Babylonicum, septendecim Jubilæa Judæi numerant; postea eorum observatio minor erat, hodie planè nulla Jubilæa sunt apud ipsos.

15. Finis horum fuit. 1. Ne Familiae deficerent bonis abalienatis. 2. Ut Populus a Tyrannide avocaretur. 3. DEI Jus in totam Terram ostenderetur.

16. Sed solennius Jubilæus Annus significabat expectandam ultimam Ecclesiæ Felicitatem, Genium alienatarum ad Ecclesiæ gremium redditum, Hæreditatem Ecclesiæ in toto Mundo in ultimis diebus, &c.

CAPUT XIII.

DE DIEBUS PROFESTIS.

Diebus Festis PROFESTI opponuntur; quod iis homines procul a Religione essent, quæ tamen Etymologia magis Romanis & aliis, quam Judæis conveniebat; unde DIES COMMUNES melius appellantur.

2. Dies omnes Naturales vel Artificiales sunt; & erant illi quidem in viginti quatuor hoars, hi vero in duodecim divisæ; præterea Dies ac Noctes in quatuor, Quadrantes &c.

3. Horæ Precum quotidie erant tres: Matutina Tertia, Meridiana Sexta & Vespertina Nona. Conventus quoque ad Preces in Templo his horis quotidie ter; postea in Synagogis & hodiè bis.

4. Tempus Prandii quotidie hora sexta Meridiei; Cœna

horæ

hora duodecima Vesperi; quæ statim Cibi Tempora Judæi vocabant.

5. Quotidiè Sacrificii Jugis oblatio fuit manè & vesperi; Ferii insuper farinacei, Libaminis vini & Suffitūs.

6. Fuit quotidiè Synedrii Magni Confessus ab Hora prima ad tertiam; Sic & Synedrii Minoris viginti trium Viros; bis vero quotidiè Minimi trium Virorum.

7. Ephemeriarum una Familia quotidie ministrabat, sic Nethinorum, Muscorum, Cantorum, Virorum Stationis, Militum Templi. Diversi etiam Psalmi & Hymni quotidie decantandi erant.

8. Aliqui Dies Fortunati alii & Infornutati erant, ut Dies Luna. Nupiales etiam aliqui, ut Mercurii & Jovis. Funeribus sepelientis ut plurimum dicati Dies Luna & Venoris, &c.

9. Noctem malam vel Somnium malum si habuerint, Jejunium sibi indicere solebant.

10. Cæterum Dies saepe & Lunas vocabant, h. e. Prima, Secunda, Tertia, &c. Luna; & Dies non alio nomine nisi ordine distinguebant, &c.



APPEN-

APPENDIX I.
*HISTORIA BREVIS GENTIS
JUDAICÆ.*

Gentis Judaicæ HISTORIA, ab Initio sui ad hæc Tempora, ad tria Intervalla revocari potest.

2. Primum quidem a sui Origine, i. e. Hebero vel Abraham usque ad Captivitatem Babyloniam; quod Tempus ab Abrahami Vocazione facit Annos circiter 1320.
3. Secundum a Captivitate Babylonica ad Excidium Gentis & Urbis per Titum & Romanos, quod est Annorum circiter 672.
4. Terrium ab Excidio illo ad hæc Tempora, exhibit Annos circiter, - 1646.
5. Primi Historia ex ipsis Scripturæ Sacrae Libris optimè petri potest, ut Mosis Scriptis & Libris Historicis.
6. Secundi ex Libris Scripturæ sacre, Apocryphis & Scriptis Josephi Historici.
7. Tertiū ex variis Scriptoribus Judæis & Christianis, aliquando & Gentilibus.
8. Dispersi per Titum vietâ Hierosolymâ Judæi per Orbem dissipati sunt, & vivunt per tres Orbis Partes: Europam, Asiam, & Africam; de quibus supponere licet, præ primis de Europeis, eos esse Judæ & Benjaminis Posteros; Decem Tribubus in Assyriam abductis planè perditis, aut in Asia finibus dispersis.

APPENDIX II.

Ad paulo pleniorē Historiæ Judaicæ notitiam adjici merentur sequentes Catalogi.

CATALOGUS. I.

P A T R I A R C H A R U M.

ADAM a DEO creatur	Anno	Mundi	I.
SETH nascitur	A.	M.	130.
ENOS.	A.	M.	235.
CAINAN.	A.	M.	326.
MAHALALEEL.	A.	M.	395.
JARED.	A.	M.	461.
ENOCH.	A.	M.	623.
MATHUSALEM.	A.	M.	688.
LAMECH.	A.	M.	875.

NOACH

NOACH.	A.	M.	63
SEM.	A.	M.	1057.
Diluvium	incidit	in Annum Mundi.	1558.
ARPHAXAD	nascitur	Anno post Diluvium	1656.
SALAH.	A.	P. D.	2.
HEBER.	A.	P. D.	37.
PELEG.	A.	P. D.	67.
REGU.	A.	P. D.	101.
SERUG.	A.	P. D.	137.
NACHOR.	A.	P. D.	163.
TAREH.	A.	P. D.	193.
ABRAHAM.	A.	P. D.	222.
			352.
Evocatus a DEO ex Ure Chaldaeorum.	A.	P. D.	427.
ISAAC nascitur Annō post Vocationem Abrahāmi.			25.
JACOB nascitur.	A.	P. V. A.	85.
Venit in Ægyptum.	A.	P. V. A.	215.
LEVI.			
CAHAT.	Posteri Jacobi, in quarta Generatione egrediuntur Ægypto, A. P. V. A.		
AMRAM.			430.
MOSES.			

CATALOGUS II. *DUCUM ET JUDICUM.*

MOSES in Deserto præfet Populo Annis.	40.
JOSUA cum Senioribus præfuisse perhibetur Annis circiter.	25.
OTHONIEL <i>Judex.</i>	40.
EHUD.	80.
DEBORA.	40.
BARACH.	
GEDEON.	40.
ABIMELECH.	3.
THOLA.	23.
JAIR.	22.
JEPHTE.	6.
IBSAN.	7.
ELON.	10.
ABDON.	8.
SAMSON.	20.
ELI <i>Ponifex.</i>	40.
SAMUEL <i>Prophetæ sine Saule.</i>	30.

CATA-

CATALOGUS. III.
REGUM ante CAPTIVITATEM BA-
BYLONICAM.

SAUL	Rex <i>Primus</i>	regnare creditur	<i>Ann.</i>	• • •	10.
DAVID	Rex <i>Jude</i>	tandem totius <i>Israëlis</i>	<i>Ann.</i>	• • •	40.
SALOMON.				• • •	40.

Post mortem hujus Populus divisus
in duo Regna:

<i>JUDÆ</i> cuius Reges:		<i>ISRÆ LIS</i> cuius Reges:	
ROBOAM	regnat <i>Annos.</i> 17.	JEROBOAM	regnat <i>Ann.</i> 22.
ABIA.	• • • • • 3.	NADAB.	• • • • • 2.
ASA.	• • • • 41.	BAASA.	• • • • • 24.
JOSAPHAT.	• • • 25.	ELA.	• • • • • 2.
Joram.	• • • 8.	ZIMRI <i>Dies.</i>	• • • 7.
ACHAZIA	regnat <i>Ann.</i> 1.	OMRI <i>Annos</i> circiter.	• 12.
ATHALIA	<i>Vidua</i> Joram. 6.	ACHAB.	• • • • • 22.
JOAS.	• • • • 40.	ACHAZIA.	• • • • • 2.
AMAZIA.	• • • • 29.	JORAM.	• • • • • 12.
UZIAS.	• • • • 52.	JEHU.	• • • • • 28.
JOTHAM.	• • • • 16.	JOACHAZ.	• • • • • 17.
ACHAZ.	• • • • 16.	JOAS.	• • • • • 16.
EZECHIAS.	• • • • 29.	JEROBOAM. II.	• • • • • 41.
MANASSE.	• • • • 55.	ZACHARIAS <i>Menses</i> 6.	• • • • • 1.
AMMON.	• • • • 2.	SALLUM <i>Mensem</i> 1.	• • • • • 10.
JOSIAS.	• • • • 31.	MENACHEM <i>Annos</i>	• • • • • 2.
JOACHAZ. <i>Menses</i> 3.	• • • • 3.	PEKAJA.	• • • • • 20.
JOJACHIM <i>Annos.</i> . II.	• • • • 11.	PEKAH.	• • • • • 18.
JECHONIAS <i>Menses.</i> 3.	• • • • 3.	HOSEAS.	• • • • • Sub hoc Regnum Israë- lis planè destruitur, Po- pulo Decem Tribuum in perpetuam Captivitatem
ZEDECHIAS <i>Annos.</i> . II.	• • • • 11.	Affyriacam abductō Annō Ezechiae Regis Judæ.	6.
Sub hoc Regnum Judæ evertitur, Populo in Babyloniā abductō:		Ante Regni Judæ Eversio- nem <i>Ann.</i>	133 $\frac{1}{2}$.
Post Egressum ex Aegypto . 910.		Post Defectionem Jeroboä- mi.	257.
Anno Post Initium Regni Saulis. . . 520.		Ante CHRISTI Nativita- tem <i>Ann. circ.</i>	740.
Ante natum CHRI- STUM. . . 606.		CATA-	

CATALOGUS IV.

PRINCIPUM ET REGUM ASSAMO- NÆORVM ET HERODIADVM POST CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

M ATATHIAS Sacerdos Filius Johannis Filii Simonis, Libertatis contra Antiochum Epiphanem initia facit, Annis ante CHRISTUM natum juxta Aëram Vulgarem.	166.
Post eversum Zedechiam Annis	440.
Et praefit Annis	3.
JUDAS vulgo Maccabæus Filius Matathiae Annis	6.
JONATHAN Frater Judæ simul Pontifex Annis	17.
SIMON Frater Jonathanis Dux & Pontifex Annis	8.
JOHANNES Hyrcanus Filius Simeonis Dux & Pontifex Annis	29.
ARISTOBULUS I. Johannis Hyrcani Filius, Primus Rex post Zedechiam Annis 503. regnat Annum	1.
ALEXANDER Jamneus Frater Aristobuli Ann.	27.
ALEXANDRA Regina Alexandri Uxor regnat Ann.	9.
HYRCANUS Alexandri Filius Ann.	3.
ARISTOBULUS II. Hyrcani Frater Ann.	3.
HYRCANUS iterum Ethnarcha & Pontifex sub Romano- rum Clientela Ann.	23.
ANTIGONUS Aristobuli II. Filius iterum ejectedo Hyrcano Ann.	3.
HERODES Magnus Idumæus, Antipatri Filius a Senatu Romano Rex factus contra Antigonum, cui debellando impendens annos ferè tres, regnat cum annis tribus Antigoni (excisis Assamonæis) Annos	37.
ARCHELAUS Herodis M. Filius Patri succedit in Ju- dea, Idumæa, Samaria titulò Regis, Annō nati CHRI- STI Primo, & praefit Annis	10.
Tandem in Exilium pellitur ab Augusto Imperatore, a quo Procuratores Romani tandem missi sunt in Judæam: Ceponius, Marcus Ambivius & Annius Rufus; & post ejus mortem a Tiberio: Valerius Gratus, Pontius Pilatus, Marcellus; a Caligula: Marullus.	
ANTIPAS Herodis M. Filius Patri succedit in Galilæa & Peræ nomine Tetrarchæ, tandem in Exilium a Ca- ligula pellitur. Praefuit Annis	39.
PHILIPPUS Herodis M. Filius in Gaulonitide & Trachonitide succedit Patri nomine Tetrarchæ, & praefit Annis 37.	
AGrippa I. Herodis M. ex Aristobulo occiso a se Filio E nepos	

nepos, a *Cajo Caligula* obtinet *Philippi* & *Antipe* Tetrarchias nomine Regis ; & tandem a *Claudio* totius Iudaæ Regnum , & tanquam Rex regnat ab initio Dignitatis sua Annos.

Tandem miserè mortuus est , & iterum missi Procuratores Romani a Claudio quidem : *Cuspius Fadus* , *Tiberius Alexander* , *Ventidius Cumanus* , *Claudius Felix* ; a Nerone vero : *Porcius Festus* , *Albinus* & *Gessius Florus* , sub quo Respublica periret.

AGRIPPA II. Filius Agrippæ superioris a *Claudio* Rex Chalcidis factus ; postea ab eodem Tetrarcha *Gaulonitidis* *Batanaæ* , *Trachoniidis* & *Abylenes* ; tandem a Nerone partis alicuius *Galilææ* ad Lacum *Genesareth* , & potitus est his Dignitatibus ad Annum Nati CHRISTI 70. ad Excidiū Gentis suæ per Titum ; imo in Excidiō supervixit ; præfuit Annis.

22.

CATALOGUS V.

PONTIFICUM JUDÆORVM.

